DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

SISTENS

ACTA MEDICO-CLINICA
ACADEMIAE JOSEPHINAE

ANNO SCHOLASTICO 1834—1835,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
D O M I N I
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME OBTINENDIS
IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Augustus Willerding,
Hungarus Pesthanus.
Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in Academia Josephina
die mensis Aprilis 1836.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Eadem symptomata morbi non omnino idem significant, si non sit eadem constitutio temporis. — Qui enim solam morborum externam faciem et eorundem apparentias spectabit, eosdem morbos quovis anno, et quavis anni parte sibi videbitur videre, et re ipsa differentes eidem methodo male subjiciet.

Stoll Aphorismi.

MAGNIFICO, CELEBERRIMO

AC

DOCTISSIMO DOMINO

STEPH. EMAN. SCHROFF,

MEDICINÆ DOCTORI,

CAES. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARIO, PROTOMEDICO CASTRENSI, PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS IN ACADEMIA CAES. REG. MED. CHIRURG. JOSEPHINA, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, PERENNIS DELEGATIONIS REI MEDICAE CASTRENSIS ASSESSORI, INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS SODALI

ETC. ETC.

IN TESSERAM PIAE OBSERVANTIAE

AC VENERATIONIS PERENNIS

OFFERT

devinctissimus

Auctor.

PROOEMIUM.

In fatis erat, ut artis discendae salubritatem et eam me docturi artificis dexteritatem in memet ipso antea experirer; vix enim ingressus scholam medico-practicam ipse ibidem gravissimo morbo tentatus decubui et jam Orco proximus eram; divinum tamen Professoris hujus instituti ingenium valuit Parcas mihi placare eoque determinare, ut vitam mihi in posterum ducant firmiorem. Talia expertus lubentiori animo monitis et praeceptis ex ore melito salvatoris vitae meae fluentibus obtemperabam, atque his ductus sedulo morbos in Clinico tractatos observabam, eorum characterem et decurrendi rationem cum genio regnante et cum tempestatis vicibus conferebam et quid in singulis vita faciat, quid ars ferat dignoscere satagebam.

Aliquos ex hac messe fructus bona venia ejusdem clarissimi ac clementissimi scholae antistitis Dom. Doctoris *St. E. Schroff* nunc dissertationem inauguralem scribens palam profero et publici juris facio, et nescio an pusillae tironis vires utilius quid suscipere potuissent; divulgando enim factas in scholis practicis animadversiones locupletatur semiologia, inclarescit therapia, obluctans hinc inde arti insuperabilis natura clarius determinatur, tempestatis et genii morborum potestas in aegritudines dilucidatur — praxis medica undique magis magisque illustratur. In comilitones amicos quoque gratus esse volui hoc labore, quo conservatam habebunt memoriam observatorum morborum perennem atque olim adhibitae opis.

Dispositio hujus opusculi erit prope sequens: praemittitur tabellaris conspectus morborum aegrorumque, qui cursu novem mensium, ab initio Octobris 1834 ad finem Junii 1835, in scholam practicam fuere recepti; adsignato ubique morbi exitu. Sequi-

tur dein mensis cujusvis lustratio specialis. In hac obvenient

1mo, observationes meteorologicae, coeli conditio et tempestatis vicissitudines, ventorum praecipue directiones ac mutationes, repentinae Barometri et Thermometri vices, nec non media, summa et infima utriusque statio, quemadmodum eas ab astronomis accepimus;

2do, adnotationes in morborum characterem stationarium et intercurrentem, in morbos epidemios et aegritudinum frequentiam, naturam atque decurrendi rationem, quemadmodum eas ex ore praeceptoris hausimus et factis in clinico et amplissimo nosocomio tam militari, quam civili observationibus confirmavimus;

3^{tio}, demum morborum in clinico tractatorum eminentiores, ex quibus aliquid in scientiam salutarem utilitatis redundet, describentur, historiis quidem brevibus, sed castis et sinceris; nunquam omissa defunc-

torum sectione cadaveris. Vulgarium minus instruentium nulla mentio erit.

Si quid bonae frugis hic, lector carpes, id non meum est, si quid autem ut mancum nec satis politum castigare libuerit, alumni primitias strenuum judicis vultum horrere perpendas, quaeso.

Dabam Viennae Calendis Aprilis 1836.

Auctor.

Conspectus aegrorum anno scholastico 1834/5
in clinico medico academiae Josephinae decumbentium.

Status morbi	Suscepti		Dimissi sanati		Dimissi non san.		Mortui		Adnotationes.
	Viri	Fem.	Viri	Fem.	Viri	Fem.	Viri	Fem.	
Febris inflam̃atoria simplex	1	1	1	1	—	—	—	—	
— nervosa	7	3	4	2	—	—	3	1	
— gastr. saburralis	6	1	6	1	—	—	—	—	
— — biliosa	9	1	9	1	—	—	—	—	
— puerperalis	—	1	—	—	—	—	—	1	
— hectica	2	—	1	—	—	—	1	—	
— intermittens	6	2	6	2	—	—	—	—	
Meningitis	1	—	—	—	—	—	1	—	
Angina faucium	2	1	2	1	—	—	—	—	
Tracheitis	1	—	1	—	—	—	—	—	
Bronchitis	1	—	1	—	—	—	—	—	
Peripneumonia	8	2	7	2	—	—	1	—	
Pleuritis	4	—	3	—	—	—	1	—	
Gastritis	1	1	—	1	—	—	1	—	
Enteritis	2	1	2	1	—	—	—	—	
Dysenteria	6	1	5	1	—	—	1	—	
Peritonitis	1	1	1	1	—	—	—	—	
Hepatitis	1	3	1	3	—	—	—	—	
Splenitis	1	—	1	—	—	—	—	—	
Metritis	—	5	—	4	—	—	—	1	
Oophoritis	—	4	—	2	—	—	—	2	
Catarrhus febrilis et afebr.	16	1	16	—	—	*1	—	—	*) Ad fin. curs. nosocom. trad. cum phthisi pulmon.
Rheumat. — — —	10	5	10	5	—	—	—	—	
Erysipelas	1	1	—	1	—	—	1	—	
Scarlatina	2	1	2	1	—	—	—	—	
Variolae	2	2	2	1	—	—	—	1	
Varioloides	1	—	1	—	—	—	—	—	
Varicellae	3	5	3	5	—	—	—	—	
Urticaria	2	—	2	—	—	—	—	—	
Morbus macul. haemorrh. Werlhofii	3	—	3	—	—	—	—	—	
Scabies	—	1	—	1	—	—	—	—	
Herpes	3	2	3	2	—	—	—	—	
Zoster	2	—	2	—	—	—	—	—	
Phthisis pulmonalis	2	—	1	—	*1	—	—	—	*) Rus missus.
Scorbutus	3	—	3	—	—	—	—	—	
Chlorosis	—	1	—	1	—	—	—	—	
Leucophlegmatia	—	1	—	1	—	—	—	—	
Latus	110	48	99	41	1	1	10	6	

Status morbi	Suscepti		Dimissi				Mortui		Adnotationes.
			sanati		non san.				
	Viri	Fem.	Viri	Fem.	Viri	Fem.	Viri	Fem.	
Translatus	110	48	99	41	1	1	10	6	
Hydrops	3	—	—	—	*2 *	—	1	—	*) Unus ex votis domum rediit *) Alter ad fin. curs. nosocom. traditus.
Taenia	—	1	—	1	—	—	—	—	
Struma	1	—	1	—	—	—	—	—	
Syphilis	1	4	1	4	—	—	—	—	
Scrophulosis	2	—	—	—	*2	—	—	—	Emendati ad officia sua rediere.
Haemoptoë	3	1	2	1	—	—	1	—	
Vomitus biliosus	1	—	1	—	—	—	—	—	
Haematuria	—	1	—	1	—	—	—	—	
Metrorrhagia	—	2	—	2	—	—	—	—	
Diarrhoea	1	—	1	—	—	—	—	—	
Leucorrhoea	—	1	—	1	—	—	—	—	
Menostasia	—	1	—	1	—	—	—	—	
Icterus	4	—	3	—	—	—	1	—	
Arthritis	—	2	—	1	—	*1	—	—	*) Ad fin. curs. in therm. Badens.
Cephalaea	1	—	—	—	—	—	1	—	Vid. historiam.
Cardialgia	—	2	—	2	—	—	—	—	
Convulsiones	—	1	—	—	—	*1	—	—	*) Ad fin. curs. dimissa.
Cardiopalmus	2	—	—	—	*2	—	—	—	Nosocomio traditi ad fin. curs.
Chorea St. Viti	1	—	1	—	—	—	—	—	
Paresis	2	—	—	—	2	—	—	—	In thermas Gastun. missi.
Hysteria	—	1	—	1	—	—	—	—	
Epilepsia imperfecta	3	—	3	—	—	—	—	—	
Summa	135	65	112	56	9	3	14	6	
Summa Summarum	200		168		12		20		

October.

Quae ex Majo ininterrupte regnaverat tempestas serenissima, suda et sicca hujus quoque mensis primam medietatatem ornavit. Plenilunium die 16. intrans hanc pergratam temperiem immutavit in uvidulam, asperam, inconstantem, frigidam, qualis autumno convenit; pluviae tamen rarae, maternam vix irrorantes terram siccitate confectam, frigus nunquam adeo intensum ac alias Octobri privum, interpositae interdum dies sudae et peramoenae.

Principatum inter ventos tenebat Euronotus serenus molle spirans, cujus imperium subinde turbavere Favonii vel Africus ardens. Columna mercurialis baroscopii insolito alta.

Medius Barometri	status fuit		. . . .		28″	4‴	4⁗
Maximus	»	» »	die 29.	mensis	28	9	4
Minimus	»	» »	— 24.	—	27	7	4

Medius Thermometri	status fuit	. . . .		+ 8,	34° R.
Maximus	» » »	die 8. mensis		+ 18,	8
Minimus	» » »	— 24.	—	+ 2,	5

Quae ad finem prioris mensis, post subitaneam temperiei mutationem, imperium obtinuit constitutio catarrhoso-rheumatica toto hoc mense dominabatur nisu in characteres sibi oppositos, phlogisticum nempe et gastroadynamicum insignis. Magna in crises erroneas, hydropem inprimis, pronitas, non minus ac congestiones, modo caput, modo abdomen, saepissime vero pectus infestantes atque effusionibus serosis, infarctibus etc. lubenter ansam largientes, potiori aegritudinum numero decursum segniorem et periculum impegerunt.

Inter singulas morborum formas numero praevalebant febres rheumaticae, dein gastricae, ambae a se invicem et a catarrhoso charactere vix non semper participantes; catarrhosae simplices rarius occurrebant, sic aeque febres nervosae, hae autem reactione systematis vasorum, stimulique impatientia excellebant.

Febres intermittentes, typo tertiano vel quartano adstrictae, frequentiores ac secus observabantur soloque chinino cedebant. Febres puerperales, galactopoëseos turbis insignitae, ad exsudationem serosam velociter properabant. Ex inflammationibus quoque rheumaticae eminebant, hinc articulorum inflammationes, pleuritides et peritonitides longe frequentiores, quam pneumoniae, anginae et hepatitides, earum intensitas generatim magna, decursus rapidus, et molimina criseos luculenta. Inter exanthemata variolosum regnabat ab initio usque ad finem mensis continuo increscens numero, benignae tamen indolis, quum consuetim varicellae indueret formam. Scarlatina erysipelasque passim visa. — Ex cachexiis hydropes ex male dijudicatis morbis tam acutis quam chronicis non infrequentes; phthises, ut solet, quoque numerosae observabantur.

Phthisis tuberculosa pulmonalis cum infarctu hepatis activo et hydrothorace.

N. N. Servus theatri anatomici 39 annorum, temperamenti melancholici, staturae mediocris, constitutionis debilioris, cum thorace angusto, infans rhachitidem serius colica frequentius percurrente, nec non aliquoties catarrho pulmonum, febri intermittente tertiana laboravit. Novem ex annis spirituosis indulget, et poenam luit; nam multa molestatur anorexia, alvi stipsi, nec non tussi brevi nocturna, somnum fugante, dyspnoea praeprimis sub ascensu scalarum. Ante tres annos supervenit febris intermittens tertiana rebellis, per tres menses perstans, tandem cedit remediis diversissimis exhibitis. Augentur exinde pristinae molestiae, accedit tumor in hypochondrio

dextro, dolores fugaces pectus constringentes, corporis emaciatio et vespertinae horripilationes, quas calor excipit. Ante duos menses per quinque hebdomadas diarrhoea in nosocomio militari tractatus convalescit, perstantibus pristinis molestiis, circa pectus et praecordia. — Secunda Octobris tandem summa supervenit respirationis difficultas, dolores vehementissimi punctorii, tussis frequens summa molesta, et febris indicia, hinc tertia Octobris iterum in nosocomium militare, quod ante tres septimanas convalescens dereliquerat, adfertur; vena aperitur, cataplasmata pectori imponuntur, et mixtura nitrata salina propinatur. Mitigantur inde, qui aderant dolores atrocissimi, pungentes, continua tussis et dyspnoea nec non vespertinae febris exacerbationes; sexta Octobris in clinicum suscipitur; sequentia morbosa symptomata innotescunt: conjunctiva oculorum flavicans, sapor fatuus, adpetentia ciborum deleta, sitis nulla, cutis normaliter calens, sicca, pulsus normali frequentior sat fortis; respiratio abdominalis, laboriosa, citata, profunda denegata, tussis frequens brevis; titilatio in larynge; sputa spumantia; vox debilis, rauca; situs non nisi thorace elevato concessus; corpus emaciatum; hypochondrium dextrum tumidum, tumor hic adparens circumscriptus, formam hepatis aemulans, alvus tarda; urina parca, profunde tincta, turbida. Dt. r. gram. unc. sex, arcan. dupl. drachm. tres, melag. gramin. unc. semis. — dt. gramin. unc. octo. olei olivar. unc. semis, salis amar. dr. sex, pro enemate. — Morbus non mitigatur, increscit dyspnoea, augetur oppressio pectoris, anxietas, minatur suffocatio, respiratio admodum citata, sublimis, haerente thorace inferiore, situs resupinus nec lateralis, unice thorace elevato concessus; tussicula frequens, brevis, sicca; inferior pars lateris dextri percussa sonum edit obtusum, physiognomia tristis, facies livida, cum genis rubro circumscriptis, pulsus frequentior, suppressus, urinae parcissimae, turbidae.

Hydrothoraci rapidissime evoluto opponitur: Inf. ex Digit. purp. gr. decem, unc. sex, kali tart. dr. sex, oxymel. scill. uncia. Dt. hord. c. oxym. simpl. p. p. D. 15. Oc-

tob. morbus, si levem dyspnoeae mitigationem exceperis, vix mutatus. Inf. digit. ex gr. duodecim unc. sex, acetat. kali dr. tres, oxymel. scill. unciam; Dt. r. onon. spinos. c. oxym. simpl. p. p. D. 18. Oct. Vespertina exacerbatio; noctu quidpiam dormiens, parum tussitans, si situm sinistrum lateralem ceperit, tussi evigilatus. Caput liberum, physiognomia tristis, adpetentia ciborum exigua, respiratio citata, laboriosa, ast liberior ac praegressis diebus, profunda sufficienter concessa, superior thoracis pars prae inferiore expanditur, sputa mucosa, in hypochondrio dextro tumor supra descriptus; urinae largae, turbidae cum sedimento rosaceo; cutis sicca, normaliter calens; pulsus frequentior, aequalis, suppressus. Digit. in infuso ad gr. quindecim; vesicans ad dextrum thoracem, suppuratio sustentanda ope unguenti pulv. cantharid. alcohol. gr. quindecim, ung. simpl. uncia.

Vesperi ob alvi tarditatem electuar. lenitiv. propinatur D. 20. Octob. Parum tussitavit et situ mutato evigilavit, respiratio liberior, profunda sat bene concessa, situs lateralis sinister sub tussi conceditur; tussis rarissima, sputa nulla; urinae parcae, turbidae cum sedimento rosaceo; pulsus et cutis ut supra. Kali acetat. ad semiunciam adaugebatur. D. 20. — 23. Octob. Status vix mutatus. Vesperi semper modica exacerbatio, medicamina optime feruntur, contra alvi stipsim electuar. lenitivum. D. 24. Oct. Respiratio quidpiam liberior, tussis rarior, sputa parca, tenacia, situs lateralis, dorsalis thorace elevato concessus, sub situ horizontali et in sinistro latere tussis, oppressio pectoris augetur, fit respiratio magis citata, anxia, molem prementem incusat aeger, quae impedit liberam respirationem, sonus in dextro thorace sub percussione uti antea obtusus; urinae quidpiam largiores, minus rubrae, cum alcohole commixtae, ut in hydropicis esse solet, sedimentum formant albidum, ex albumine coagulato confectum; pulsus liberior ac antea; suppuratio in thorace dextro optime viget. D. 25. Octob. Therapia intenditur. Digit. gr. quindecim in inf., extract. scillae aquos. gr. duo, liquor. kali acetat. semiuncia oxymel. scillae uncia. D. 26. — 30. Oc-

tob. Copiosior urinae fluxus; respiratio pari ratione liberior fit; situs lateralis sinister nondum ex asse conceditur; vesperi semper modica exacerbatio; vesperi electuar. lenitiv. uncia. D. 31. Octob. Conqueritur aeger de vertigine, oculorum obnebulatione, photopsia, pupilla dilatata, pulsus inaequalis, rarior; respiratio sat libera, sic et profunda; situs lateralis sinister nondum concessus; tumor in hypochondrio dextro imminutus; urinae adhuc largiores, limpidae. Digital. ad gr. sex imminuitur, lotiones totius corporis c. aqua saponat. ordinantur. Vesperi symptomata digitaloseos increscunt, seponitur medicamen. D. 1. Novemb. Resumitur Digit. ad gran. quatuor manentibus reliquis. D. 2. — 4. Novemb. Morbi magna emendatio, respiratio libera, profunda non molesta, incubitus lateralis sinister tandem concessus, tussis rarissima, tumor hepatis minor, urinae largae, digitalis iterum ad gr. octo augetur; alvus semper electuario movenda. D. 5. Novemb. dosis scillae augetur ad gr. quatuor. Adparent dolores colici, capitis occupatio, cutis calor auctus, sitis major, pulsus frequentior. Dt. r. gram. unc. sex, sal. m. Glaub. dr. duas, syrup. cichor. c. rheo unciam. D. 6. Nov. Mitigantur post aliquot horas dolores colici alvo pultacea ter secedente, reliqua nox tranquilla; symptomata pectoralia eadem, febricula gastrico-saburralis; continuatur mixtura; vesperi nulla exacerbatio, alvus haeret, dosis sal. Glaub. ad unc. semis augetur; enema emoll. D. 7. Nov. Febricula nulla, residuus adhuc status gastricus; nihil mutatur. D. 8. Nov. Statu gastrico ex integro soluto ordinatur: Dt. — Inf. ex r. tarax. uncia c. fol. digit. pp. gr. sex, extrac. scillae aquos. gr. sex, liquor. kal. acet. unc. semis, oxymel. scill. uncia. D. 9. — 15. Nov. Largae fluunt urinae, quotidie ad libras novem ad duodecim, c. alcohol. remixtae longe minus formant sedimentum albidum; tussicula rarissima, respiratio unice frequentia excedente peccat. Decrementum tumoris in hypochondrio dextro, valetudinis redeuntis sensatio; adpetitus viget; vesperi tamen adhuc modica exacerbatio, victus augetur; embama c. pane albo, juscula c. ovis. D. 16. Nov. Levis narcoseos symptomata, vertigo, levis photopsia, ar-

dor faucium, pulsus tardus contractus; seponitur medicamen, vesperi elect. lenitiv. D. 17. Nov. Morbus decrescit. Rad. polyg. seneg. dr. duas in decoct. unc. sex. extract. taraxac. liquid. dr. duas, aceti scillae dr. syrup. onon. spinos. unciam. D. 19. Nov. In morbo nulla mutatio, ex plaga suppurante sanguinis stillicidium largum sistitur aqua Goulardi; extracto taraxaci substituitur centaur. minor. dr. D. 20. — 30. Nov. Vires tantopere increscunt, ut aeger in cubili deambulet, urinarum larga secretio, noctu sudor. D. 30. Nov. acet. scillae omissum. D. 1. — 17. Decemb. Vires pedetentim increscunt; tussis evanescit, restat tamen adhuc pulsuum frequentia vespertina, nec non post deambulationem aucta, respiratio normali adhuc frequentior, facie color luridus, emaciatio, pristinum continuatur medicamen. D. 18. Dec. dimissus.

Oophoritis in suppurationem terminata.

R. A. militis uxor, 38 annos nata, constitutionis fortis, habitus apoplectici, ejus parentes, pater hydrocardia, mater apoplexia sanguinea defuncti; ab anno aetatis 14. legitime menstruans, nupsit anno 21. et sterilis mansit; quatuor annis serius sibi ob cephaleam, dyspnoeam et anxietatem abdominalem venam aperiri curavit, quod dein quotannis mense Maji ob similem orgasmum facere consuevit, ultimo vero anno neglexit. Mense Junio 1834. occepit abdomen tumere et pressum dolere, cum artuum dedolatione, anorexia et alvo segni; accessit serius, mense Augusto erysipelas pedum vesiculare et die 24. Septemb. dum matrona menstruans sibi refrigerium admiserat, exorta est febris cum dolore acutissimo in hypogastrio et mictu difficili; mensesque repente cessarunt. Imponebantur cataplasmata abdomini et vena bis tundebatur absque magno emolumento. Die 27. Sept. in nosocomium deferebatur, ubi per tractamen antiphlogisticum, V. S., cataplasmata emoll., nec non per hirudines et cucurbitas cruentas abdomini adplicatas fracta morbi ferocia; die 6. Octobr. pilulae tonico - solventes, victus nutriens, pediluvia et lotiones pedum cum spiritu aromatico ordinabantur. Disparuit ery-

sipelas, rediit febris una cum doloribus ventris. Nunc, in clinicum suscipitur die 12. Octobr. caput grave, vultus anxius, facies calida, turgescens; lingua ad margines rubra, humida, in disco arida, cum tegmine spisso, flavicante; dentes muco fusco glutinoso obvoluti; anorexia; sitis. Respiratio frequentior, anxia sublimis; abdomen expansum, in hypogastrio dolor premens, pungens, fixus, constans, levi pressione augendus; cutis amoene calida, sicca; flatulentia et alvus crebra fluida cum tenesmo; urina rubra, flammea; pulsus perquam frequentes, duri, fortes, suppressi. V. S. ad libram; emuls. oleos. unc. octo. Dtm. spec. alth. p. potu; catapl. emoll. ad abdomen et regimen his adaequatum. D. 13. Octob. Sanguis eductus exhibuit placentam grandem, ponderosam, spissam cum ampla crusta phlogistica. Sequebatur notabilis omnium symptomatum remissio. Excepta V. S. reliqua continuata.—D. 14. Oct. Adparent mensium vestigia; dolor hypogastrii concentratur ad uterum et ovaria, quae nunc aperte tument; reliqui abdominis tensio minor; febris et reliquus morbi status vix non idem ac heri. — Vespere. Febris vehemens; dolores in hypogastrio acutissimi; pulsus veloces, filiformes, duri. V. S. ad unc. octo instituitur, caetera continuantur. D. 15. Oct. Sanguis e vena missus justam offert seri et coaguli quantitatem, crustam vero lardaceam, crassam et tenacem. Venaesectionem excepit tanta morbi remissio, ut somnus mox sequeretur quietus. Modo autem dolores in utero et ovariis magis tumentibus acerbius saeviunt; reliquum abdomen expansum ad percussionem resonat; facies collapsa pallet, frons sudat; respiratio anxia; pulsus perquam frequentes, suppressi, duri; menstrua exigua. Hirud. Nro. 15 internae femorum plagae adplicantur. — Vespere. Cessat sanguifluxus uterinus; crescit febris intensitas cum pulsibus velocissimis, parvis, suppressis; adest magna debilitas, temulentia; vultus alienatus, facies collapsa flavescens; visus hebes; labia pallida; lingua lignea, porrectu difficilis; sitis ingens; respiratio laboriosa, sublimis, inspirium non conceditur; extremitates frigent; reliqua su-

perficies ingrate fervet et arescit; alvus et lotium haerent; explorationem uteri et ovariorum prohibet tensio abdominis inflati. Sanguisugas 12 denuo hypogastrio adplicari; enemat. emoll. injici, caetera continuari jubentur. D. 16. Oct. Pergebat in multam noctem illa morbi malignitas, donec ante diluculum somnus intrabat; modo baud exspectata mutatio: facies enim componitur; humescit lingua; cutis mollescit; respiratio prope libere absolvitur; detumuit abdomen, dolores ejus multum mitigati remittunt; perstat tamen frequentia pulsuum eadem; alvum aperire tribus clysmatibus frustra tentabatur; urinae missae turbidae, rubicundae, parcae. Solvuntur in emuls. oleos. sex dr. sal. amari. — D. 17. — 20. Oct. Sub hoc tractamine evigilavit pedetentim adpetentia ciborum; evanuere symptomata morbosa, tumore uteri et ovariorum demto, qui aegrae, praeter pulsantes hinc inde dolores, vix ullas pariens molestias, solvi cunctatur. Missis hinc prioribus cunctis, ordin. dec. r. gramin. unc. octo, sal. Glauberi dr. duae, syrup. simpl. uncia, et victus vegetabilis. D. 21. — 23. Oct. His diebus observabatur ad vesperas thermogenesis aucta cum pulsu frequentiore, et heri post balneum univers. tepidum, dysphoria et artuum dedolatio, nec non cuticula pinguis in urinis. Substituitur gramini taraxacum, et pro potu dec. hordei cum oxymel. simplici exhibetur. Die subsequa a prandio frigebat aegra per horam, tunc calebat cum genis circumscripte rubentibus et pulsu frequenter micante; sequebatur lassitudo insignis et nox inquieta; accessere die 24. Oct. spurcities linguae, nausea, ructus et vomituritio; prorupuit sudor universalis acidum redolens; supervenit ad vesperas vomitus ternarius materiae mucosae, flavae, amarae; interea praecordia dolebant; tumor ovarii dextri multum increvit; alvus adstringebatur. Additur medicamini gr. tart. stibiat.; potus continuatur; catapl. emoll. abdomini imponitur. — D. 25. Oct. Nocte dormitavit aegra; mane hora quinta ingruebat eam frigus vehemens, sub quo dolores acerbissimi in abdomine oboriebantur, et alvus quinquies praecociter movebatur aquoso-mucosa; post

dimidium horae sequebatur calor intensus et vomitus fluidi viridescentis. Nunc facies elongata, collapsa, decolor; oculi semiclausi; lingua porrectu difficilis, arida; respiratio sublimis, cita, laboriosa, anxia; abdomen levissimae contrectationis impatiens, expansum cum interni ardoris sensu; cutis sicca in extremis frigida, secus intense calida; pulsus perquam frequentes, parvi, contracti. V. S. ad unc. sex; emuls. amygd. unc. sex, sacch. dr. duas; dect. rad. salep c. saccharo p. potu. — Vespere. Phlebotomia parum levaminis transitorii induxit; sanguis emissus crusta phlogistica tenui instructus parum crassamenti ostendit; abdomen crescit; vires derepente labuntur, pulsus parvi, suppressi velocissime micant. Aperire denuo venam et sanguinis sex uncias emittere consulebatur. D. 26. Oct. Sanguis absque ullo levamine eductus, hesterno similis. Indomita morbi malignitas effrenos progressus facit: inflatur monstrose abdomen, configuratur facies hippocratica, algent extrema et maculis caeruleis foedantur; obfuscantur sensus; abolitur conscientia; prorumpit sudor viscidus, olidus; alvus fluit; cessat respiratio — die 27. Octobr. mane mors scenae luctuosae terminum ponit.

Necroscopia.

Dura mater cranio hinc inde firmiter adcreta; arachnoidea et pia meninx parum incrassata, posterior sanguine dives; intra gyros levis exsudatio serosa; substantia cerebri tenax, oligohaemia; partes ejus sicut et cerebelli omnes egregie evolutae. Cavum thoracis utrumque angustatum, per diaphragma sursum pressum, pulmones texturae normalis, collapsi flaccidi; pericardium adipe involutum, sic etiam cor, in eorum cavis et textura nulla anomalia. Omenta admodum crassa et pinguia ad internam faciem sanguine scatentia atque cum peritoneo et intestinis ope strati lymphatici viridicantis conglutinata. Hepar cum diaphragmate filamentorum ope connexum, voluminis consueti, coloris laetioris, substantiae friabilis; cystis fellea circum circa pinguedine obvoluta, nullum bilis vestigium, sed quatuor calculos triangulares, duros, ex atro-flavo griseos, magnitudine nucem avellanam minorem aequantes continebat; lien late rubiginosus tensus; pancreas ad normam. Ventriculus collapsus; intestina tenuia coarctata, eorum flexurae per filamenta facile laceranda inter se connexae;

reliquus tubus alimentaris et organa uropoëtica, demta eorum insigni pinguedine, ad normam. In cavo pelveos fluidum ichorosum, luteo-griseum tetrum ultra duas libras collectum. Uterus incrassatus quatuor exhibuit lipomata, quorum unum in medio anticae parietis — ovi columbini, alterum in dextro latere — nucis avellanae, tertium in sinistro latere — nucis juglandis, et quartum in fundo matricis situm — ovi gallinacei magnitudinem adaequabat; tria priora residebant in superficie, postremum in parenchymate hujus organi, in cavo uteri nil morbosi; tubae Fallopii permeabiles; ovaria per ulcerationis processum devastata; latum ovarii sinistri ligamentum in vesicam, duas uncias ichoris gerentem, transformatum; ligamentum synonimum dextrum aeque vesicam formavit longe ampliorem, quae rupta nunc et collapsa illum in pelve stagnantem ichorem probabiliter continebat.

Febris gastrico - saburralis in nervosam versa cum congestionibus ad encephalon.

N. N. miles 22 annorum, constitutionis fortis, temperamenti sanguinei, semper sanus. 15. Octob. Vesperi notabili lassitudine, frigore, aestu corripitur, cephalea frontali vehemente, nausea, vomituritione. Alvus ex triduo haeret, abdomen expansum obtuse dolens; altero mane, melius se habet, incumbit negotiis, vesperi pejus, sic et dies insequens transigitur; statu pejore die 18. auxilium efflagitat a medico, qui ipsi pulverem exhibet; oritur modica diarrhoea, mitigatur cephalea, cessat vomituritio; ast transitorium levamen, nam vesperi iterum omnia exasperantur. Lecto nunc adstrictus utitur thea ignota usque ad 22dum, qua die vesperi in clinicum transfertur. — Lassitudo, cephalea frontalis pressiva, facies pallida, elongata, collapsa, physiognomia indifferens et peculiariter alienata, oculi languidi annulis coeruleis cincti, retracti, lingua in medio albescens, cum stria in medio fusca, sitis magna in acido-frigida, sapor amarus; abdomen molle tractabile, sub rudiore pressione in regione pubis inamoena sensatio, musculi facile convelluntur, alvus iterum ex triduo haerens, cutis sicca, calens, pulsus aequalis, normali frequentior, plenus fortis magnus. D. 22. Octob. Vesperi Dt. r. gram. unc. octo, salis Glaub. unc. semis, tinct. rhei aquos. c. alcal. uncia; Dt. hord. c. oxymel. simpl. pp. De nocte

agrypnia perfecta. D. 23. Octob. Emendatio. Caput liberius, physiognomia magis composita, lingua humidula, pulsus minus frequens hesterno, modica cutis transpiratio, alvus una; dosis tinct. rhei aquos. ad unc. duas augetur. Vesperi febris non major, alvus una stercorosa, urina larga, jumentosa. D. 24. Oct. Noctu agrypnia, alviductiones tres foeculentae, status vix abludens ab hesterno; rheum omittitur, medicamini adjicitur tart. emet. gr. Nocte insequente agrypnia, jactitatio in lecto. D. 25. Octob. Facies pallida collapsa, physiognomia indifferens, nares siccae sanguine coagulato repletae, lingua in medio sicca, sitis clamosa, abdomen quidpiam meteoristicum, alvus semel deposita, urinae turbidae, parcae, pulsus et cutis uti heri. Dosis tart. emet. ad gr. duo. Vesperi uti semper modica exacerbatio, noctu agrypnia, inquietudo, epistaxis pluries repetita. D. 26. Octob. Caput temulentum vertiginosum, oculi retracti, genae rubrae, facies elongata indifferentiam exprimens, lingua magis sicca, sitis valida, abdomen meteoristicum, alvus nulla, urinae parcae, cutis sicca, pulsus parvus contractus. Vesperi enema; noctu epistaxis iterata larga, inquietudo, agrypnia. D. 27. Oct. Symptomata cephalica majora, sic et siccitas linguae et cutis, alvus clausa, pulsus magnus, plenus. Tart. emet. gr. tria; hirud. med. tres retro aures, enema; notabilis emendatio praecipue symptomatum cephalicorum, vesperi nulla exacerbatio, repetitur enema. D. 28. Octob. Nulla mutatio. Acid. tart. gr. decem, aq. font. com. libr. duas, sacchar. alb. dr. duas p. p. Post prandium febris augetur, vesperi enema, vesicans ad brachia, noctu aliquis somnus licet interruptus. D. 29. Octob. Status non mutatus, alvi stipsis; adjicitur medicamini Inf. sen. c. man. uncia. Vesperi modica exacerbatio, alvus quater mota, abdomen mollius, medicamen seponitur. D. 30—31. Octob. Continuat lentus morbi decursus, vix mutatus. Dt. r. gramin. unc. sex. tart. emet. gr. tria, syrupi simpl. unc. semis; vesicans ad pectus. D. 1.—4. Novemb. Symptomata non increscunt, quaedam mitigantur, utpote agrypnia, linguae siccitas, vestigia lysis, cutis praeprimis

noctu tantillum madet, urinae mittuntur sedimentosae. D. 5. Novemb. Noctu largus sudor, continuant urinae cum sedimento furfuraceo, levis euphoria, physiognomiae major libertas. D. 6. Nov. Alvus iterum pertinaciter haeret, status reliquus non mutatus. Rp. Dt. spec. alth. unc. octo, salis amar. unc. semis, olei olivar. unciam. S. enema. D. 7. — 8. — 9. Novemb. Noctes quietae, contingit sub somno sudor reficiens, qui et mane continuat, urinae vix non omnes cum sedimento furfuraceo. Mane adest capitis libertas, facies composita, lingua humida, sitis modica, tussicula, abdomen vix meteoristicum, cutis grate calens, pulsus normali parum frequentior, liber et fortis. D. 10. Nov. Inquietudo nocturna, caput temulentum, vertiginosum, animus dejectus, aeger de salute recuperanda desperat, ducitur desiderio in patriam, facies pallida collapsa, tristis, languent oculi retracti, lingua sicca, fissa, sitis in gelida, abdomen meteoristicum, alvus una, urina parca profunde tincta cum sedimento furfuraceo, cutis arida, subfrigida, pulsus parvus, contractus; crises iterum haerent. Dt. r. gram. unc. octo, tart. emet. gr. quatuor, syrup. simpl. unc. semis; vesicans ad pectus. Animus exhilaratur in quantum licet spe ad lares mox redeundi paternos. Vesperi sinapism. ad suras. D. 11. Nov. Post somnum nocturnum res utcumque bene procedunt, ast vesperi scena hesterna; animi dejectio, vertigo, facies pallida, collapsa, augmentum meteorismi, pulsus contractus. Vesicans ad nucham. D. 12. — 13. — 14. Nov. Crises protrahuntur, morbus recedit. D. 15. Nov. Summum morbi decrementum; propinatur Dct. r. tarax. unc. sex, tart. emet. gr. duo, syr. simpl. uncia. D. 19. Nov. Exhibentur amara c. aromaticis, quae seponuntur vicesimo, quum aeger recusat. Diaeta et regimen congrua observantur. D. 26. Nov. convalescens in divisionem dimittitur.

Febris gastrico-catarrhalis cum diarrhoea symptomatica.

A. G. 18 annorum, tiro rei tormentariae, constitutionis fortis, temperamenti vivacis, infans scarlatinam et an-

te bimestre pneumoniam feliciter exantlavit. Ex aliquot jam diebus male dispositus capitisque gravitate tentatus miles die 19. Octobris 1834, excubias agens, plures alvi dejectiones, magnam corporis delassationem, et brevi etiam motus febriles experiebatur. Sperans fore, ut natura sibimet ipsi medeatur, sprevit artis auxilium; crescens autem quotidie exacerbatus ad vesperas morbus eum cogit, nosodochium die 23. Octob. adeundi; eadem die vespere clinicum intravit sequentibus adflictus signis morbosis: delassatione magna, capite exaestuato, facie praerubra turgida, oculis illacrymatis, naribus obturatis, anorexia, sapore fatuo, lingua muco albo tecta, siti aucta; ventre elato nullibi dolente; respirationis conditio normae congrua; pulsus frequentiores, fortes, pleni subduri reperiebantur. Porrigebatur Dct. r. salep. unc. sex, salis ammon. depur. gr. duodecim, syr. simpl. unc. dimidia; dect. sem. hordei c. sacchar. pro potu.

D. 24. Oct. Noctu agrypnia, inquietudo, intensus calor et sitis; alvus semel mota; modo animus dejectus; caput calidum, vertiginosum; aurium susurrus, siccitas narium, oris et faucium molestissima; sitis vehemens; lingua spurca, sapor amarus, nausea, vomitus, quo juscula muco mixta rejiciebantur; abdomen inflatum, parum resonans; cutis calida; sicca; pulsus perquam frequens, fortis, magnus; urinae parcae, turbidae, obscure rubrae. Vesperi. A meridie prorupuit sudor largus universalis levisque epistaxis; sequebatur, et nunc perstat hilaritas animi, capitis libertas et reliquorum symptomatum elevatio notabilis. — D. 25. Oct. circa mesonyctium e somno quieto expergefactus benevoli immemor consilii haud vestitus, pedibusque nudus et sudore madens lectum deseruit, alvum depositurus. Inobservantiae brevi poenas luebat, horrores scilicet et dysphoria brevi sese insinuabant, alvusque creberrime laxabatur. Mane pergit diarrhoea; reliquus morbi status, si vomitum demas, hesterno matutino simillimus cum pulsu tamen longe frequentiori minusque forti. Decocto-infus c. r. salep. scrup. et r. ipecac. gr. duodecim cum syr. diacod. semiuncia; dect. spec. alth. c. syr. simpl. pro potu. Vespere, diarrhoea bis tantum adparuit, reliqua

symptomata quoque remittunt. D. 26. Oct. Noctu inquietudo, somnia terrifica, confusa, hinc inde delirium mite. Mane: mentis operationes illaesae, caput temulentum, vertiginosum; in vultu alienato moeror; aurium susurrus; oculorum caligo; anosmia; faucium siccitas, sitis vehemens, lingua conspurcata; abdomen meteoristicum, in regione inquinali dextra sub rudiori pressione dolorificum; diarrhoea aucta continuat; cutis arida; pulsus admodum frequens, minus fortis parvus, subdurus. Augetur dosis ipecac. ad gr. quindecim; loco althaeae dect. salep pro potu exhibetur, atque enema amylaceum ter de die injici; regioni inquinali dextrae cucurbitas cum incisione sex applicari, et plagas sic vulneratas unguenti stibiati ope in suppurationem converti, nec non abdomen cataplasmatibus foveri jubetur. Vesperi: Dolores ilei et meteorismus disperiti; pulsus elevati, tranquilliores, unduosi; cutis mollis; alvus semel tantum laxata; reliquorum luculenta remissio. Demtis cucurbitis, continuantur caetera. — D. 27. Oct. Per noctem inquietudo, deliria vivacia, aufugiendi conamina et sudores largissimi. Mane alloquutus nunc voces profert fortes et sonoras, nunc inconscius decumbit et delirat; caput calet; rubet intense facies, oculi vivaces splendent; pulsant impetuose carotides; thorax frequenter et cito movetur; abdomen molle omnem contrectationem patitur; cutis calida arescit; pulsus frequentissimi parvi parum contracti, ad debiles vergunt. Infus. e r. arnicae dr. duab. et r. ipecac. scrup. parati unc. sex, syrup. diacod. unc. una; potus, cataplasma continuanda; capiti, epithemata frigida; nuchae empl. cantharidum; plantis pedum sinapismi adplicantur. Vespere: Per diem continuo fere mite deliravit; alvum non, urinas inconscie misit; respiratio nunc laboriosa et frequentior; pulsus frequentissimi vere debiles. D. 28. Octob. A hora septima vespertina capite summopere calente, oculis prominulis, fulgentibus et continuo agitatis; facie tumente et rubente furiose deliravit, fremuit nunc, nunc adstantibus vim illaturus, immanes exercuit motus. Sepositis prioribus ordinata fuerunt: sanguisugae duodecim retro aures; epithemata glacialia ad caput capil-

lis orbatum et emulsio amygdal. cum nitri dr. una p. potu. Circa mesonyctium componebatur symptomatum ferocia et pedetentim status intrabat soporosus; mane resumitur inf. r. arnicae c. syr. diacodii, contin. fomenta glacialia, potus refrigerans et abdominis fotus; adplicantur pectori vesicantia et femoribus sinapismi. Perseverat status soporosus, vires rapide exhauriuntur; hora quinta pomeridiana fatis fungitur.

Necroscopia.

Dura meninx exsanguis; tunicae interiores cerebri pauxillum incrassatae; inter eas modica seri grisei diaphani quantitas coacervata; pia mater a cerebro facillime solvenda, offerebat plagas aliquot, praecipue in parte frontali colore cinabaris insignis, ejus vasa ad minimas usque ramificationes sanguine turgebant; substantia cerebri numerosis punctis sanguineis notata, solito tenacior; plexus choroidei cruore divites; conario insidebat bulla sero repleta; ventriculi vacui; pars cerebri inferior et cerebellum minus sanguine pollebant ac partes superiores; in fundo cranii semiuncia seri stagnabat. Membrana mucipara faucium laryngis et partis superioris tracheae laetius rubra. Pulmones sanguine oppleti secus ad normam reperti; in cavo pericardii sesquiuncia seri ex flavo-rubelli contenta; cor sanum sic et hepar; vesica fellea multum diluta bile extensa. Ventriculus jejunum et pars ilei superior ad normam; in portione vero ilei inferiore animadvertebantur extrinsecus plagae livido-rubrae, quibus interne in membrana mucosa respondebant ulcera a magnitudine pisi ad illam palmae manus extensa, multum protuberantia ad superficiem inaequalia, verrucas quodammodo aemulantia, cavitatibus profundis circumclusas; maximum ulcus ad insertionem hujus visceris in coecum, omnem hujus loci ambitum obsidens; intestina crassa et organa uropoëtica ab omni labe immunia.

Febris hectica cum enteritide chronica.

F. Sch. literarum studiosus, 12 annos natus, constitutionis debilis, habitus scrophulosi, duobus abhinc annis post superatam, tunc temporis epidemice regnantem, influenzam multum obnoxius erat turbis digestionis, quae apositia, ventris dolorosa inflatione, alvique constipatione insignitae, ab initio rarius comparebant brevique transibant, serius, mense Junio 1834, autem crebrius recurre-

bant, et mox fere continuae perseverabant. Mense Julio graviter adflictus in nosocomio tractabatur, quod post moram quatuor septimanarum parum alleviatus dereliquit: mense Septembri molestiae novitus recrudescere coeperunt; accessit oedema pedum, mox omni vespere horripilatio aestusque et sudor debilitantes; cum malum rapidos progressus faceret, die 21. Octobris e. a. sese in nosocomium contulit, et die 24. Octobr. in clinicum susceptus sequentia exhibuit pathognomonica: Motuum languorem et debilitatem magnam, emaciationem eximiam, colorem cutis flaccidae, frigidae squalidum, terreum; caput liberum, obtutum languidum, auditum difficilem, linguam puram, sitim parumper majorem, adpetitum ciborum vigentem; respirium breve; inspirium bene concessum; ventrem inprimis lumbum dextrum elatum, circa umbilicum et regionem confinem obtuse sensilem; adtactu rudiore dolores constringentes ad umbilicum et situ lateri dextro dolores lancinantes ad lumbum augentur; alvum fluxam; sudores universales nocturnos; pulsus frequentiores, molles, parvos, debiles. Dect. r. salep c. sacch.; cataplasm. emoll. ad abdomen, et oryza c. lacte cocta pro victu. — D. 25. Oct. Tensio et dolores ventris mitigati; respiratio liberior; alvus ter deposita fluida; perstat febris hectica et eximia debilitas. Vesperi: Manifesta febris exacerbatio, calore aucto, rubore genarum circumscripto, siti majori, pulsibus velocibus, parvis, debilibus cognoscenda; alvus per diem quater laxata fuerat. — D. 27. Oct. Dolores umbilici regionem solum obsident, suntque mitissimi; diarrhoea continuat; accessit tussis crebra sicca. — Mucilag. gg. arab. syr. simpl. āā unc. semis, extr. hyosc. gr.; caetera continuantur. D. 29. Oct. Dolores fere evanuerunt, tussis et diarrhoea parum mitiora pergunt; febris depascens quotidie suas celebrat exacerbationes vespertinas, terminantes somno et sudore universali debilitante. Dct. lich. island. ex dr. duabus par., facto antea et abjecto infuso fervido, unc. sex, lactis vaccin. rec. mulsi libr. semis, sacch. unc. semis; linct. continuatur. D. 2. Nov. Diarrhoea non aucta; tussis vero molestior et crebrior evasit; scrotum et extre-

mitates inferiores hydropice tument; in reliquis partibus tanta emaciatio, ut aegrum pelle et ossibus tantum conflatum credas; lethifera febris cum sudoribus macerantibus residuas miselli vires consumere pergit. Loco lactis miscetur cum lichenis decocto uncia oxymel. squillitici et lac pro potu exhibetur; linctus continuatur. Morbus insuperabilis veloci ultra progreditur cursu; tussis in dies crebrior violenter excruciat et somno privat contabescentem puerculum; adparent die 5. Nov. luridae in extremitatibus hydropicis maculae; explicatur foetor cadaverosus, et nocte ejusdem diei mors placida sequitur.

Sectio cadaveris.

In calvaria ejusque contentis nil abnormis inventum, nisi parca seri intra gyros, in ventriculis lateralibus et ad basin effusio, atque oligohaemia. Pulmo dexter compressus, solito densior, quin substantia sit alienata; in parte citerioris cavi inferiore duo sacci, pseudomembranarum ope formati, tres circiter libras seri pellucidi includentes; pulmo sinister per omnem ambitum cum pleura costali firmiter nexus, primordia hepatisationis offerebat. Pericardium circiter sex unciis seri limpidi flavescentis repletum; involucrum serosum cordis debito crassius; cor ipsum sanum. Hepar et lien ad normam. Excepto ventriculo et colone omnis tractus intestinalis notabiliter incrassatus et discolor. Ileum duas intussusceptiones recenter factas offerebat, membrana ejus mucipara ad extensionem duorum pedum obsessa ulceribus laxis, sinuosis, nigricantibus, tuberculis griseis pertextis, hinc inde ad consolidationem dispositis. Intestinum coecum constituentes membranae omnes incrassatae, eorum intima in ulcus conversa atrum excrescentiis fuscis pertextum; exitus hujus partis in colon adscendens adeo coarctatus, ut vix calamus scriptorius eum permeare valeat; caeterum in cavo coeci duo nuclei prunorum reperti; reliqua abdominis pelveosque organa nil notatu digni exhibuerunt.

Febris puerperalis.

A. F. 22 annorum, fabri ferrarii tenella conjux, a matre, quae puerperio decessit nata; infans morbillos, milliaria et serius febrim intermittentem quotidianam superavit; ante annos quinque pneumoniam sibi tripudiando conscivit, qua fracta remansit tussis cum sputis et dolore premente sub sterno. 15. aetatis anno primis salutabatur cata-

meniis, quae, gravi cephalea et urente ad genitalia dolore stipata, normalem semper observarunt typum et quantitatem et qualitatem; anno 1832 puellam partu prodidit facili, adhuc viventem; absoluto sine peculiari turba graviditatis tempore justo, die 27. Septemb. denuo puellam peperit; contingunt partus, puerperium, lochiorum atque lactis excretio ad normam; dum quarta puerperii die infelix matrem invadit lectum deserendi cupido, deambulat per totum diem, ad vesperas intrat cum insigni artuum delassatione dolor in hypochondrio acutus, fixus, adtactu exacerbandus, per noctem increscens; accedunt altera die motus febriles et pristinae pectoris molestiae, tussis nempe humida et dolor augentur; habetur morbus pro statu catarrhoso et remediis emollientibus tractatur, pectorique unguentum stibiatum inungitur. Ita tractatus per 25 dies excurrit morbus luculentas circa meridiem faciens exacerbationes, viresque in dies magis consumens; ultima die propinatur contra alvi stipsim calomel, sequuntur alviductiones innumerae, ruit in deterius morbus; transportatur vesperi die 26. Octobris ad clinicum, hic: cephalea frontalis pressiva; facies turgescens, rubra; lingua muco albo conspurcata, sitis magna; respiratio citata, brevis, anxia, sublimis; abdomen expansum, non resonans, sub quiete et motu indolorificum adtactu vero ubique, eminenter tamen juxta uteri, hepatis et lienis situm acute dolens; lochia seroso-cruenta stillant, mammae sine lacte collapsae; cutis calor quidpiam auctus, pulsus frequentissimus, parvus, contractus. — Emuls. oleos. unc. sex c. nitri puri dr. semis; emulsio amygd. com. p. potu; hirud. ad abdomen 12, his delapsis stillicidium sanguinis per fotum tepidum sustentari et dein catapl. emoll. imponi jubetur.— D. 27. Octob. nocte magna anxietas, crebra vomituritio, tussis frequens; alvus semel deposita consistentiae muci, coloris albicantis; nunc caput vertiginosum, singultus, meteorismus, extremitatum intumescentium frigus; pulsus filiformis frequentissimus; exceptis hirudinibus et omisso nitro, continuantur reliqua. — Circa meridiem increscit corporis calor et sudore terminatur frigido. Ad vesper. singultus

frequentior, animi deliquia; respiratio laboriosa, stertorosa; abdomen acutius dolens, alvus clausa; — in emulsione oleosa solv. salis amari unc. dimidiam; continuantur caetera.— D. 28. Octob. Caput continuo temulentum, vertiginosum; sensuum externorum lusus et hebetudo; lipothymiae crebriores; facies livet, os et labia siccescunt; urget sitis tantalea; respiratio ut heri; pulsatio cordis inordinata; abdomen plus tensum, continuo et acutius dolens; extremitates tumidae frigent; pulsus frequentissimus filiformis, evanescens; alvus pertinaciter clausa, — therapia hesterna; ad pectus empl. vesicat.; ad vesperas crescit morbi intensitas. D. 29. Octob. Lipothymiae fere continuae, facies alienata, livida, frigescens; respiratio summe anxia et laboriosa, levior in situ erecto; motus cordis plus moderati; abdomen minus expansum, minus dolorificum; frigus extremitatum intensius, major eorum tumor; pulsus uti heri.—Dct. r. althaeae et fr. tamarind. ex aa unc. dimidia par. unc. sex, cremor. tart. dr. duas, syrup. simpl. unc. semis; Dti. r. Gramin. lib. duas, acid. tartar. gr. quindecim, sacch. unc. semis p. potu. Empl. vesicat. ad pectus. Vesperi morbi intensitas major. — D. 30. Octob. Anxietas, nausea et peculiaris inquietudo prae caeteris nocte eminebant; nunc facies livens, collapsa, elongata cum labiis coerulescentibus, naso acuminato, oculis retractis exanimatis, sudore frontis frigido, auditu hebete, ciborum adpetentia, quae per omnem morbi decursum — quod miror! — vigebat, nunc in poma dirigitur; ructus, singultus, lipothymiae continuae, respirii gravamina majora, orthopnoea cum sensu fluidi alicujus tepidi in cavum pectoris effusi; abdomen collapsum flaccidum, non, nisi sub tactu rudissimo, dolens; extrema frigent; pulsus evanescit — adduntur medicamini Ext. scillae aquos. gr. duo, oxymel. scillae unc. dimid. — Empl. vesicans ad pectus; crescit inquietudo, summum adtingit anxietas gradum et hora meridiana cruciatibus terminum imponit mors.

E x t i s p i c i u m.

Inter meninges in ventriculis atque in fundo cranii magna seri sanguinolenti copia; substantia cerebri mollis sanguineque dives. Pul-

mo sinister pleurae costali adcretus, totus quantus tuberculosus; dexter liber in superficie fluido glutinoso griseo obductus, in apice tuberculis, in reliqua substantia sero spumescente provisus; in dextro thoracis cavo fluidi aquosi unciae quatuor, similis fluidi aequalis copia in pericardio stagnat; cor flaccidum, atria ejus sanguine referta, ventriculi vacui. Integumenta abdominis flaccida, eorum musculi tenuissimi, consumti; hepar grande substantiae mollis, coloris normalis; cystis fellea et lien ad normam; peritoneum, intestina, pancreas et renes multo sanguine provisa; glandularum meseraicarum duae in massam calcaream transformatae; uteri tumidi plaga peritoneo obvoluta operiebatur scabra et sanguine scatens, substantia ejus incrassata, interna vero membrana relaxata, flaccida.

November.

Quos serotinus autumnus fert fructus, imbres, nives, nebulas crassas, procellas, frigus hiemale cum tepore vernali alternans, November non adtulit; imo tempestas constanter arida, suda, serena; horis nonnisi matutinis et vespertinis tenues nebulae. Barometrum, uti hoc mense solet, absque notabili oscillatione. Thermometri vero statio solito inferior praesertim inter 17.—20. diem insigniter delapsa. Venti primo mensis dimidio ut plurimum Austrini cum Circio alternantes, postea vero immutati in Euronotum ad finem usque constantem, qui hinc inde procellas commovit sat vehementes.

Medius Barometri status fuit:	. . . .			28″	4‴	7⁗
Maximus „ „ „	die	4.	mensis	28	7	11
Minimus „ „ „	—	30.	—	26	20	10

Medius Thermometri status fuit:	. . . . . .			+	7,8° R.
Maximus „ „ „	die	2.	mensis	+	11,8
Minimus „ „ „	—	20.	—	—	7,0

Imperium, quod praegresso mense cum charactere phlogistico divisum habuit genius gastroadynamicus nunc solus obtinuit, atque tum sua natura quum magna in crises erroneas nefastasque metastases pronitate in mortalium perniciem dominavit. Creberrimae febrium gastricae erant, eas nervosae sequebantur perniciosae ob citam virium exhaustionem; pustulae lentem vel pisum ambitu aequantes, decubitus, diarrhoea, erysipelas faciei, otorrhoea et par-

otitis in earum decursu atque in cadaveribus sectis ulcera intestinorum haud raro apparebant. Febres rheumaticae nervosis parciores, catarrhosis raro uberiores, intermittentes rarae. Inflammationes in genere rarae tunicas serosas et juncturas praesertim occupantes vagae, et in metastases pronae, crebrius etiam sub larga diaphoresi miliariis notatae. Ex efflorescentiis exanthema variolosum benignioris naturae numero et vehementia crescere perrexit; erysipelas frequens meninges tentare adamavit; scarlatina non rara passim occursabat. Eccrisium plures haemoptoës et haemorrhoides; ex cachexiis hydropes crebri et pertinaces ex eodem fonte ac mense praegresso propululantes; inter nevroses apoplexiae, hemiplegiae et delirium tremens frequenter visae.

Febris inflammatorio-biliosa cum catarrho pulmonum.

N. N. 34 annorum, miles athleticus, temperamenti boeotici, juvenis pneumoniam et catarrhum febrilem superavit, gravi ira incandescens vinum recens 3. Novemb. hausit; nocte sat frigida ex cauponio domum reversus febri corripitur valida, oppressione in pectore, noctuque et subsequa die materiam vomitu continuo ejecit ex fusco flavam et amaram; 4. Novemb. in nosocomium missus in clinicum suscipitur. Cephalea frontalis pressiva, obtutus tristis, facies turgida, flavescens, genae rubent, lingua muco spisso flavicante obtecta, sapor amarus, nausea, vomituritio, sitis in acidula, halitus foetens; respiratio citata, tussis rara interdum vomituritionem movens, sputa cruda, flavicantia, hinc inde cruore tincta; vox rauca, dolor sub sterno premens, hypochondrium dextrum inflatum sub manus explorantis pressione dolorificum; caeterum abdomen molle, tractabile, alvus clausa; cutis transpirans, calor auctus, pulsus aequales frequentiores, fortes. Dt. r. gramin. unc. sex, tart. emet. gr. , salis Glauber., syrup. simpl. aa unc. semis. Dt. hordei c. oxymel. simpl. pro potu.

D. 5. Novemb. Noctu inquietudo, somnia terrifica,

tussis crebra; mane febris remissio, urinae largae, spumantes, turbidae rubrae; hora quarta exacerbatio, sitis intensa, calor auctus, fere urens; cephalea in- et extenditur; respiratio fuit frequentior matutina, tussicula brevior, pulsus frequentiores et fortiores; sinapism. ad suras. — D. 6. Novemb. Noctu vomituritio crebra, circa mesonyctium vomitus biliosus, somnus intercipitur; mane cephalea mitigata, lingua purior, in medio subsicca, sitis adhuc intensa, respirii gravitas; sensilitas epigastrii et hypochondrii dextri aucta, cutis adhuc intense fere ingrate calens, albuginea oculorum flavicans, alvus foeculenta, semel deposita; — nihil mutatur. Vomitus post prandium repetitus, vespertina febris exacerbatio, magna inquietudo, nausea, ructus frequentes, cardialgia, vomituritiones, praecordiorum tumor et notabilior plenitudo. Rad. ipecac. gr. decem pro dosi. Sumto pulvere effectus larga aqua egelida suffulcitur moxque vomitus largus insequitur biliosus, qui etiam de nocte aliquoties repetitur, inde somnus denegatus. — D. 7. Nov. Febris et dolorum in epigastrio mitigatio; caput liberius; vomituritio nulla, sitis minuta, sputa flavicantia, lingua purior, cutis ardens magis flavet; tenuis alvus quater sequuta; urinae rubrae cum spuma flavicante: Dt. r. gram. fruct. tamarind. unc. octo, sal. Seignetti unc. dimid., syrup. rubi idaei unciam. Vesperi magna animi dejectio, inanes vomituritiones molestantes cum inflatione ac sensilitate in epigastrio. Pulv. r. ipecac. gr. decem, tart. emet. gr. Vix emetico sumto larga emesis biliosa. — D. 8. Nov. Caput liberum, obtutus tristis, lingua humida, purior, sapor minus amarus, sitis mitior, tensio in praecordiis mitigata, respiratio libera, tussis frequens, sputa larga, crocea, cutis sicca, grate calens, flava; pulsus frequens, mollis, urinae et alvus uti heri. Ad vesperas febris exacerbatio absque signis saburrae turgentis. — D. 9. Nov. Creberrimae de nocte alviductiones alleviantes, tempore antelucano somnus reficiens, obtutus et animus hilarior, lingua purior, ventris imminuta tensio, prona in transpirationem cutis, amoene calens; alvus, lotium, sputa biliosa, pulsus liber, frequentior. — D. 10. Nov. De nocte

tussis frequens. Mane facies composita, lingua pura, sitis modica, vomituritio nulla, hydroa febrilis, tussis crebra, raucedo major, respiratio fere normalis; sensilitas praecordiorum imminuta; cutis large sudans, flavedo decrescens, pulsus liber, modice frequens, alvus bis mota, urinae minus tinctae turbidae; largae crises; rapidum morbi decrementum, eminet catarrhus. — D. 11. — 14. Nov. Largae contingunt crises uti heri inchoavere per sudorem, urinas hypostaticas, sputa cocta, hydroam febrilem; pari passu totus morbus decrescit. — D. 15. Nov. Protrahuntur crises, disparet dolor hepaticus, hepatisque imminuitur volumen: Dt. r. tarax. unc. octo, syrup. rubi idaei unciam. Dt. hordei c. oxymel. simpl. p. p. Pro victu embama. — D. 16. — 21. Nov. Adhuc largae fluunt urinae sedimentosae, hepatis tumor ex integro decrevit; omittitur medicamen, diaeta augetur; conceditur ambulatio. Ex integro restitutus 24. Nov. ad divisionem suam militarem remittitur.

Icterus ex physconia hepatis.

L. Sz. miles gregarius, 23 annorum, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, infans variolas, puer febrim intermittentem tertianam cum pedisequa hepatis emphraxi exantlavit, quae remediis solitis cedit. In Italia 1832 hepatitide dira corripitur, quae venaesectione sexies repetita, hirudinibus et salinis fugatur; infarctus abigitur remanens solventibus. Sub nocte 6. Nov. a. c. totum corporis tegmen insignitur corporis colore flavescente; in nosocomium 7. mittitur, obtinet solventia, 9. tandem Nov. in clinicum suscipitur. Omnis cutis flavedine insignis, praecipue circa nares et os, albuginea flavida, caput liberum, xanthopsia, animi morositas, lingua muco albo obtecta, hepatis lobus sinister tumet, persentitur sub attactu durior, alvus una et firmioris notae; urinae mittuntur bruneae et spumantes, cutis temperatura et pulsus sanorum; propinatur: Dt. r. tarax. unc. sex, salis Glaub. unc. semis, syrup. simpl. uncia, Dt. hordei c. oxymel. simpl. p. p. — D. 10. — 11. Nov. Status non mutatus; mittuntur urinae ex flavo bru-

neae, spumantes, alvus una; vesperi conspicitur corporis flavedo intensior, urinae missae profundius tinctae.— D. 12. Nov. imminuitur cutis flavedo, urinae profundius tinctae mittuntur, tumor et durities in hypochondrio dextro decrescit; alvus una, dura, coloris grisei, argillacei. — D. 13. Nov. Status hesternus; pulsuum notabilis tarditas solummodo 45 ictus intra minutam. Dt. r. tarax. unc. sex, salis m. Glaub. dr. duas, tinct. rhei aquosae, syrup. simpl. aa unc. unam. Ad tertiam post prandium hucusque semper deses in lecto haerens, repente surgit, petit januam, interroganti, quidnam foris vellet infirmario quaedam verba inconcinna respondet et impeditus vi vim opponit, in furorem actus clamitat, aspuit circumstantes imo mordere conatur, tandem ligatur. Sub accessu vespertino ad interrogata incongrua refert, facies turget, inquietudinem exprimit, oculi quidpiam splendentes, respiratio citata, calor cutis auctus, praecipue in fronte, pulsus fortis, tensus, frequentior; vincula solvuntur, aeger januam petit, impeditus ex novo corripitur furore; venaesectio ad unc. duodecim; epithemata glacialia ad caput, enema purgans; tranquillitas post V. s.; ad nonam vespertinam redeunt deliria furibunda, reliquam noctis partem tranquillus et sopore obrutus transigit. — D. 14. Nov. Conscientia abolita, sopor, interrogata non percipiuntur, nec vehementiori commotione evigilatur, oculi clausi et superiore palpebra levata apparent vitrei et flavescentes, obtutus inanis, facies quidpiam collapsa, dentes fortiter adpressi, os non nisi vi aperiendum, externe spuma flavescente tectum; respiratio citata, abdominalis, abdomen molle, tractabile, indolorificum, fere nullus tumor in hypochondrio dextro; pulsus frequentior intermittens, alvus et urinae inscie mittuntur, cutis intensius flavet. Florum arnic. unciam fiat Dt. libr. unius, salis amari dr. sex pro trib. enemat. Calomel gr. octo, sacch. alb. scrup. duos, div. in quatuor partes aequales. Unguent. digital. et ciner. aa unc. semis capite abraso inungendum, epithemata glacialia. — Increscit sopor, respiratio fit magis laboriosa et stertorosa, vires labuntur, et hora prima de nocte ultimum subit diem.

Necroscopia.

Corpus torosum, bene nutritum, omnis cutis intense flavens; dura mater hinc inde incrassata intense ubique flavens, vasculis injectis sat copiosis perreptata; substantia cerebri normaliter colorata, admodum mollis, praeprimis substantia corticalis, quae facile in pultem dissolvitur; arachnoidea admodum tenuis et friabilis flavo colore tincta, vascula hinc inde fluidum biliosum ferunt; in ventriculis lateralibus drachma circiter seri flavicantis; plexus choroidei aliquot hydatides aeque flavas ostendunt; substantia cerebelli minus emollita, quam illa cerebri, ex integro normaliter tincta. Pulmo dexter omni in ambitu pleurae costali adnexus, sinister vero ubique liber; textura normales pulmones insolito sanguine nigro oppleti, in pericardio uncia seri ex flavo rubro, cordis parietes multum extenuati. Hepar solitae magnitudinis in superficie plagas profunde coeruleas, aliasque rosaceas offert, ejus substantia tenax, coreacea, solita textura granulosa ex integro deperdita, sanguine atro scatet; bilis nullibi vestigium; vesica fellea parum expansa, circiter dr. duas muci tenacis flavo colore tincti continet; ejus membranae omnes incrassatae, praeprimis interna, quae in omni sua superficie quodammodo granula prominentia offert; ductus choledochus in medio circiter decursus sui longitudinalis membranula reclusus, ibidemque notabilem exhibet incrassationem. Lienis solitam ter exsuperantis magnitudinem substantia pallidior normali; intestina tenuia partim aëre, partim foecibus repleta; versus colon coecum quidpiam coarctata, in medio eorum volvulus circiter pollicis unius; colon adscendens transversum et descendens partim aëre partim foecibus duris impleta; ex flexura sigmoidea intestinum crassum infra umbilicum dextram petit partem et insolito modo ibidem transit in intestinum rectum, ita ut duplex formetur colon transversum, et duplex mesocolon, quibus interjecta sunt intestina tenuia; colon rectum, foecibus expansum, renes normales, sanguine quidpiam oppleti, papillae plorant urinam flavescentem consistentiae bilis. Venae cavae ascendentis facies interna insolito modo rubra; vesica urinalis urina flavescente repleta, caeterum omnia strata cutis aeque ac pinguedo flava, minus tamen intense ac cutis superficies; sic reliquae quoque tam serosae quam fibrosae et mucosae membranae eodem observantur tincto colore; ossa normaliter colorata, in substantia cartilaginum nil nisi vasa bilem potius quam laticem solidum ferentia inveniuntur.

Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii.

M. Sch. 21 annorum, candidatus chirurgiae, constitutionis venosae, lymphaticae, quatuor ab hinc annis omni

aetate frequenti et prolixae epistaxi obnoxius erat; anno praegresso convalescens ex febri catarrhosa mense Junio in similem morbum, quo nunc laborat, incidit, hujus symptomatibus maculis nempe et debilitate musculari per remedia roborantia fugatis remansit magna pronitas in epistaxes profusas. Circa medietatem Octobris 1834 praegressis magna artuum dedolatione, lacerantibus ossium doloribus et intolerabili cutis pruritu adparebant in extremitatibus maculae parvae, rubrae; hae, dum aeger cubile inhabitabat humidum, in dies numero et ambitu crescebant et die 6. Nov. socios accipiebant motus febriles, tumorem palpebrae sinistrae nec non die 10. c. m. haemorrhagiam narium, quae fomentis frigidis ad caput et nucham adplicatis et usu dect. ligni campech. cum acido Haller. sistebatur. — D. 13. Nov. in clinicum susceptus sequentia offert pathognomonica: sinciput obtuse dolet, faciei sinistram plagam occupat erysipelas oedematosum; nasus et labium superius legitime colorata tument, gingiva superior laxa livet et facile sanguinem plorat, dens molaris sinister primus carie destructus, gingiva ei vicina in tumorem elata durum, formam et magnitudinem nucis avellanae referentem, inferior gingiva pallescit, anima foetet, sapor est mucosus, anorexia; sitis parum aucta; respiratio omni intuitu sana, artuum insolita defatigatio, virium corporis et animi dejectio; alvus ex triduo haeret; pulsus normali frequentior et fortis. Cutis mollis, grate calens, ubique fere, excepta facie, maculis notata diversae magnitudinis, sat laete rubentibus; inferiorem brachii sinistri partem amicit cutis e livido viridescens, maculis et striis profundius rubris obsita, similis decoloratio nec non aliqua durities subjacentis textus cellulosi in antica crurum et sinistra thoracis parte animadvertenda. Penes regimen adaequatum ordinata: dct. fruct. tamarind. ex unc. p. unc. sex c. aq. lax. Vienn. et syr. rub. idaei aa unc. Dct. r. salep. libr. duae c. acid. sulph. dilut. scrup. duob. et syr. rub. idaei uncia p. potu. Dct. fruct. caricae c. lact. vaccin. p. colutor. Acet. aqua temperatum p. lotione; denique enem. emoll. — D. 15. Nov. tumor erysipelatosus complanatus; motus febriles vix

ulli; maculae cutis numero et ambitu increvere. Inf. herb. trif. fibr. ex dr. duab. p. unc. sex c. tinct. rhei aquos. et syr. cichor. c. rheo aa unc. una; potus, colut., lotion. continuantur. — D. 19. Nov. Maculae, quae dispersae per omnem superficiem erant laeteque rubebant, pro maxima parte disparuerunt, illae vero pectus, brachium et crura obsidentes, ecchymoses, gingivarum laxitas et artuum dedolatio perstant. Erysipelatis ultima vestigia penitus evanuerunt. Trifol. fibr. substituitur acorus; p. colutor. dect. malv. c. oxym. simpl. praescribitur; caetera continuantur; succus citri, ut assuturae, quam pro victu penes vegetabilia accepit, instilletur, et vinum Budense p. potu exhibetur. Sub horum usu contingit aliquoties pulsuum major alacritas et fortitudo, pedisequa thermogenesi aucta et capitis gravitate; decoloratio cutis vero ne hilum emendabatur. D. 24. Nov. exhibetur inf. r. acor. c. elix. vitr. Mynsicht. scrup. duob. et syr. cort. aurant. unc. dimid. Colutorio admiscetur unc. dimid. aceti vini; caetera continuantur. — D. 26. Nov. epistaxis recurrit, hac epithematum frigidorum et turundarum ope composita, remanet cetero statu haud mutato, capiplenium, circulus sanguinis et thermogenesis alacrior. Ordinatur situs summe quietus, capite elevato; seponuntur remedia amaro-aromatica et vinosa; colutorium et lotiones continuantur; exhibetur dect. salep. c. elix. acid. Haller. et syr. rub. idaei p. potu, atque enema emoll. adplicari jubetur. — D. 27. Nov. ex statu hesterno evoluta est per noctem febris cum socia irritatione galeae aponeuroticae, periosteique maxillam superiorem amicantis et cum eminente digestionis turba. Penes hesterna exhibetur dect. fruct. tamar. c. aqua lax. Vienn. et syr. rub. idaei, quemadmodum prima tractationis die praescriptum erat. Subsequis quinque diebus febris sub aucta diaphoresi et largiore alvi et urinarum excretione benigne judicabatur, insimul macularum complures disparuerunt, aliae pallidiores evaserunt, gingivae minus laxae, ejus ad dentem molarem tumor mollescit et collabitur. Resumitur inf. trif. fibr. quale die 15. Nov. ordinabatur, caetera continuantur. — D. 4. Dec. sanguinis crasis in dies emendatur, gingi-

vae consolidatae vix jam sanguinem plorant, ejus tumor fere evanitus, anima minus foetet; maculae trunci fere omnes disparuerunt, in extremitatibus numero minutae pallescunt. Pro potu loco dct. r. salep. aq. com. c. acid. Haller. et syr. rub. idaei; reliqua continuantur. — Subsequis diebus, 5.—9. Dec., denuo adparebant in lingua, palato et interna labiorum buccarumque facie aliquot vesiculae sanguine profunde rubro refertae. Continuatis caeteris loco trif. fibr. ordinabatur inf. acor. c. tinct. rhei aq. sesquiunc. et syr. cort. aurant. unc. dimid.; serius commutabatur inf. acor. c. dct. cort. peruv. — D. 15. Dec. macularum in ore et in cute numerus major, halitus magis foetens, defatigatio notabilior, lingua conspurcata, appetitus deletus. Inf. ex herb. trif. fibr. semin. foen. et fol. sennae āā dr. duab. unc. sex; potus, lotiones et colut. continuata; insuper armoracea c. aceto et vinum austr. diaetae addita, deambulatioque in aëre libero suasa. — D. 21. Dec. plures macularum, quae florebant, evanuerunt, reliquae pallescunt; eriguntur musculorum vires, languet digestio. Extr. lign. quass. gr. quindecim, tinct. rhei aq. unc. duas c. aq. com. unc. sex; potus, lotionesque continuata. Sub usu horum favente tempestate frigida, sicca, plurimae macularum cutis et quae in cavo oris residebant, omnes ex integro evanuerunt; increvit musculorum robur, evigilavit digestionis vigor et animi hilaritas; continuando potum et lotiones. — D. 31. Decemb. dect. cort. peruv. c. tinct. cort. aurant. in usum trahitur. Quae restabant adhuc maculae penitus disparuerunt, rediit virium omnigenarum vigor et functionum concentus. Ita discedens die 12. Jan. accepit pilulas sequentes. Rp. Extr. cort. peruv. dr. tres. — Pulv. r. rhei dr. unam et dimid. pulv. r. acori q. s. f. p. pond. gr. trium. consp. p. cort. cinam. Monitus, ut ter de die 5 pil. sumat; ut corpus diligenter favente coelo exerceat in aëre libero, victumque seligat digestu facilem et roborantem.

Anasarca et hydrothorax cum physconia hepatis et pulmonum.

L. B. magister excubiarum, 44 annos natus, sat fortis; anno 1809 ad pectus et crus glande plumbea grave vulneratus; anno 1811 febri intermittente tertiana tentabatur; anno 1824 arthralgia pertinaci laboravit, hac balneorum ope superata, occepit tussire et tussivit abhinc omni tempore hiemali. Ad finem mensis Julii 1834 apparebant motus febriles, sequebatur tussis crebrior, ab initio sicca, serius cum sputis tenacibus, hinc inde sanguinolentis, noctu potissimum molesta, ab aegro tamen vilipensa. Initio mensis Octobris dyspnoea premi, frequentius tussire, et noctu somniis terreri incepit, cutis laxa ad malleolos intumuit. Die 11. Octobr. in nosodochium deferebatur, ubi praeparata ex digitali pp., scilla, hyoscyamo, liq. terrae fol. tartari, junipero, nec non inunctiones cum spir. camphor., oleo terebinth. et vesicantia in usum tracta parum emolumenti praestiterunt. — D. 15. Novemb. in clinicum susceptus, cephalea exigua; facies praemature senescens, os et adpetentiae normales; respiratio cita, brevis, anxia, tussis plurimum sicca, rarius cum sputis aquosis; anxietas praecordialis. — Abdomen parumper expansum, molle, omnis contrectationis bene patiens; hepar tumidulum, sub tactu fortiori obtuse dolens; cutis leucophlegmatica, laxa, pallida, sicca, calor ejus normali parum inferior; oedema pedum; urinae parcae; alvus more consueto quotidie semel sequitur; pulsus parvi, tensi, frequentiores, sat fortes; emaciatio et debilitas notabilis. — Inf. folior. digit. pp. e scrup. par. unc. sex, extr. scillae aquos. gr. tria, liquor. terrae foliat. tart. dr. tres, oxymel. scill. unc. unam; dect. r. gramin. lib. duas, acid. tartr. scrup., sacchar. unc. dimidiam p. potu; praeterea leves frictiones cum panno. Altera die, quum gravamina respirationis essent majora, augebatur dosis extr. scillae ad gr. sex; ea liq. terrae foliat. tartar. ad unc. dimid.; gramini substituebatur ononis spinosa, atque pectori emplast. vesi-

cans imponi, et plagam eo epidermide spoliatam in suppurationem converti jubebatur ope deligationis cum unguento simplici uncia et pulv. cantharid. gr. 15. Subsequo biduo vix ulla status morbi, ad vesperas parum exacerbati, mutatio; mittuntur urinae copiosae turbidae; cum alcohole remixtae largum sedimentum albuminosum deponentes. — D. 10. Novemb. Respiratio plus citata et laboriosa; cardiopalmus; pulsus fortior, tensus et frequentior. Augetur scilla ad gr. decem, extr. scillae ad gr. 25. — D. 12. Nov. Respiratio minus laboriosa; cardiopalmus levior; alvus quater mota; urinarum librae decem intra biduum missae, oedema pedum se extendit et occupat crura. — Augetur digitalis ad dr. semis et extr. scillae ad gr. 12. — D. 14. Nov. Abdomen tumescit; caeterum eadem morbi imago. Inf. fol. digit. pp. e gr. 35 par. unc. sex, liq. terrae foliatae tart. unc. semis, oxymel. scillae unc. unam. Scillae siccat. in pulv. gr. sex, sacch. dr. semis, mixta in tres partes aeq. div. intra diem consumantur; potus continuatur. — D. 19. Nov. Perstante caetero morbi statu caput evasit temulentum, vertiginosum; pupillarum dextra dilatata, sinistra coarctata; cordis motus undulans, caeterum legitimus; pulsus aequalis, parum normali frequentior, fortis, durus, tensus; urinae parcae. Seposito infuso digitali propinantur solum pulveres e scilla, et pro potu resumitur iterum decl. gram. c. acid. tartr. — D. 20. Nov. Symptomata cephalica parum remisere; pulsus vero et reliquus morbi status perstant. — Scillae siccat. in pulv. gr. novem, elaeosacch. junip. dr., misce div. in part. aeq. sex; potus manet; frictio et obvolutio extremitatum cum panno fumo baccarum juniperi impraegnato. — D. 22. Nov. Redit cardiopalmus; urinae parcae profundius tinctae difficulter mittuntur. Seposito pulvere cantharidum, plaga suppurans cum unguento simpl. deligatur. Vespere omittitur scilla ob intrantem nauseam. — D. 24. Nov. Evanuit mingendi difficultas; perstat cardiopalmus et urinarum parcitas; alvus segnior evadit; respiratio inaequalis et difficilior; abdomen grandius, pulsus magni, tensi, subduri frequenter et fortiter vibrant; habitus leucophlegmaticus tetrior; Dect.

r. onodin. spinos. ex unc. semis par. unc. sex, extr. lactucar. scrup., cremor. tart. dr. duas, oxymel. colchic. unc.— D. 26. Nov. crescunt respirii gravitates, quaeritur elevatus situs; tumescit magis abdomen; turbatur somniis vivacibus confusis somnus; perstat alvi segnities et urinarum parcimonia. Resumitur digitalis et quidem gr. sex cum sacch. in tres partes; additur mixturae uncia inf. sennae cum manna. Qui nunc sequuntur, diebus, 27. Nov. — 4. Dec., augebatur digital. ad gr. novem, extr. lactuc. ad dr. dimid. et frictiones extremitatum c. linimento volatili institui jubebantur. Interea diuresis mansit parca, cutis arida, alvus evasit crebrior et fluida; cachexia hydropica increvit; gravitas respirii quidpiam remisit. — D. 5. Dec. Redit dyspnoea; adplicatur pectori empl. cantharid., et plaga hac epidermide orbata deligari jubetur cum mixto ex ung. basilico unc. et pulv. cort. mezerei dr. — D. 7. Dec. Dyspnoea major. In pectore et abdomine conspiciuntur petechiae rarae. Die subsequa maculae petechiales etiam extremitates inferiores occupant, vespere intrat tussis frequens, fortis, sicca.— Mucilag. gg. arab., syr. simpl. aa. unc. dimid., aquae laurocer. scrup. — D. 9. Dec. Petechiae pallescunt; alvus fluit diarrhoica; urinae parcissimae; respirii gravitates et cachexia hydropica crescunt; marcescunt eximie membra superiora, inferiora hydrope tument.—Scillae in pulv. gr. sex, elaeosacch. junip. dr. mixta div. in doses sex, alternatim cum mixtura sumendas, reliqua omisso cremore tart. et infus. senn. c. man. continuantur. — D. 11. Dec. Nocte quietius dormisse narrat; gravius tamen nunc ac secus respirat; scrotum et penis insigniter tument; facies alienatur; loquela balbutit; pulsus pergunt frequentiores magni, fortes, duri et tensi. Hora tertia pomeridiana petens sellam perforatam derepente exspiravit.

N e c r o t o m i a.

Calvarium tenue, leve; meninges omnes incrassatae; in superficie cerebri effusiones serosae largae, sulcos cerebri distendentes; in parte sinistra hinc inde effusio sanguinis intra tunicam arachnoideam et vasculosam; ventriculi tricornes multo sero grisco expansi, vasa ple-

xus choroidei ampla, sanguine scatentia; in fundo cranii unc. duae seri sanguine tincti stagnant. In cavo thoracis dextro librae duae, in sinistro libra una et dimidia, in pericardio unc. quinque seri flavicantis, turbiduli accumulatae; caeterum pulmones flaccidi, hinc inde pleurae costali per fibras tenaces adnexi, eorum substantia oedematosa. Cor grande; in atrio et ventriculo ejus dextro libra sanguinis atri, pro parte coagulati, et dimidia ejusdem sanguinis libra in cavis sinistris reperta; crus adscendens arcus aortae saturate rubrum, tunica ejus cellulosa incrassata, vasculis numero solutis rutilantibus provisa; facies ejus interna rubens et scabra, plures offerens protuberantias, materia ex flavo albicante tenaci refertas; valvulae semilunares extenuatae; reliqua aorta, ejusque rami ad normam. Cavum abdominis libris sex seri flavidi turbiduli cum floccis mucosis mixti plenum. Membrana interna venae cavae laete rubra, venae mesenterii dilatatae. Hepar ex caeruleo luridum, ponderosum; ejus substantia coloris cinerei, sanguine aquoso dives; cholocystis incrassata, parum bilis fluidae tenens. Lien voluminis normalis, durus, in superficie numerosis maculis albicantibus insignitus. Renum substantia sanguine orba, dura; eorum volumen et forma, non minus ac ureteres et vesica ad normam. Ventriculus collapsus, unciam chymi continens, membrana ejus mucosa ex caeruleo rutilans, ad fundum incrassata; reliquus canalis cibarius et caetera abdominis organa a norma haud deflexa.

Dysenteria phlegmonosa.

L. S. 22 ann., miles rei vehiculariae, a die 19. Oct. 1834, in nosocomio decubuit cum febre, alvo fluxa, torminibus et tenesmo; his silentibus die 7. Nov. e nosodochio discessit debilis adhuc et multum emaciatus. Eadem die vespere expertus est frigus intensum, mox tormina et tenesmum, comite lassitudine magna, capiplenio et siti urgente, quibus de nocte plures alvi dejectiones liquidae accessere; factas mane inducias excipiebant vespere eadem ac heri tormenta et saeviebant in noctem; haec exacerbationis et remissionis quotidie iterabatur scena; traxit aeger in auxilium, penes cetera sibi commendata, vinum rubrum. De die in diem torminibus et tenesmo atrocius saevientibus ruente alvo cruenta, viribusque labentibus adit demum die 17. Nov. rursus nosocomium, et vesperi in Clinicum suscipitur. In subjecto emaciato, coloris lurido-flavi, caput liberum; facies collapsa, tristis; oculi sine vigore splenden-

tes; aurium susurrus; lingua subsicca, muco fusco dense tecta; sitis normalis, fames; respiratio omni intuitu libera; abdomen molle, expansum, adtactum rudiorem ubique renuens, praesertim vero juxta situm intestini recti et circa umbilicum, ubi dolorem recondit scindentem et urentem; cutis sicca ardens; pulsus frequentes, contracti, sub. duri. — Jubentur hirud. decem abdomini applicari, Dct. Infus. ex r. salep scrup. et r. ipecac. gr. 15 ad col. unc. octo cum. syr. diacod. unc. Dt. salep. c. sacch. p. potu; enema ex amylo in aq. soluto et catapl. emoll. ad abdomen. — D. 18. Nov. Nocte tenesmus frequens et violentus, praeviis et comitantibus in abdomine diris doloribus, sub quo saepe nihil, saepe parum materiae mucosae sanguine remixtae extricabatur, quo facto levamen aliquod intrabat, aegro quietem non tamen somnum concedens, donec 3 horarum circiter intervallo eadem tormentorum scena revertebatur. Nunc penes hesterna, abdomen magis expansum, dolores ejus sub contrectatione acutiores; pulsus frequentior, fortior et durior. V. S. ad unc. octo; caetera hesterna. — Vespere post V. S. dolorum ventris lenimen. Sanguis emissus in placentam coibat parco cruore conflatam, crusta phlogistica tenui instructam, sero multo innatantem Per diem cutis saepe incepit transpirare, alviductiones sex dysentericae contingebant. Nunc ventris dolorum, anxietatis, sitis et aestus augmentum. Venaesectio ad unc. quinque; emuls. oleos. unc. sex; — potus enema et cataplasmata continuata. — D. 19. Nov. Nocte modicus sudor, et per vices somnus; alvus ter mota, dysenterica acerbo cum tenesmo; nunc febris et dolorum remissio. Exceptis V. S. et enemate caetera continuantur, et insuper balneum universale tepidum exhibetur. Vesperi: alvus sexies mota; nunc manifesta febris exacerbatio calore multum aucto, rubore genarum circumscripto, siti majori, pulsibus velocibus, parvis contractis cognoscenda; abdomen expansum, in regionibus supra designatis acutius ac hucusque dolens. Cucurbitae sex abdomini adplicantur. — D. 20. Nov. Dolores ventris multum alleviati; intestinum rectum tumidum tangitur; febris mitigata, nulla sitis, sudor modicus, lotium turbi-

dum cum sedimento albido; alvi fluxus sexies contigit. Balneum universale. — D. 21. Nov. Enteralgia lenissima; febris vix ullum vestigium: cutis grate calida, sudans, urinae sanorum; alvi fluxus saepius redux. Resumitur therapia die 17. ordinata, excepta tamen sanguinis detractione, et usus balneorum continuatur.— D. 24. Nov. Sine ullo febris indicio, pergit creber alvi fluxus exiguis torminibus et tenesmo comitatus; emaciatio, et virium debilitas augentur. Dct. infus. ex r. colombo dr. duabus et r. ipecac. gr. 15 par. unc. octo, c. elaeosacchar. foenicul. dr. duab.; potus manet; cataplasmatibus substituuntur fomenta sicca. — Diebus subsequis, 25. Nov. — 3. Dec., tentatum erat, effrenas alvi excretiones coërcere, viresque labentes sustentare; hunc in finem cibi cupienti propinati; potus et fomenta sicca continuata et insuper ordinata fuere d. 26. Nov. dct. r. colomb. ex dr. duab. p. unc. sex c. elaeosacch. foenic. dr.; opii puri gr. unum, pulv. r. ipecac. gr. duo, sacch. dr. una in tres part. dividenda et interdiu consumenda; die 28. Nov. enemata ex Rp. amyli pur. unc. dimidiam, solv. in aq. ebull. libra, subige Vitel. ovor. duorum, adde tinct. opii scrup., sig. pro 4 clysmatibus interdiu injiciendis; tandem d. 1. Dec. decoct. r. colomb. copulabatur cum extr. cort. peruv. dr. dimid. et aq. destil. cinnamom. uncia, et abdomen inungebatur mixto ex ung. aromatico uncia, et camphor. muc. subactae gr. decem. Nihilominus alvus frequenter (8 — 10 in dies singulos) deponebatur, aquoso-mucosa, fusca, inodora; recurrebant ad vesperas motus febriles; emaciatio et virium exhaustio ultra progrediebantur, illaeso respirationis opere et ciborum adpetentia in dies crescente. D. 4. Dec. vesperi haurit aeger vinum rubrum, clam ei adlatum; brevi autem poenas luit, resurgunt scilicet una cum ventris crebriore fluxu, nocte saevi intestinorum cruciatus; accedit tussis frequens sicca, difficilis, cum faucium ardore et voce rauca. Deprehenduntur praeterea sequente die tonsillarum rubens tumor, respirium citatum, sputa parca, mucosa, tenacia, pulsus frequentiores contracti, oedema ad malleolos. Substituitur novissimae mixturae dect. rad. salep c.

syr. diacod.; collum catapl. emoll. fovetur; caetera continuantur. — D. 9. Dec. Diarrhoea et enteralgia pacata, tonsillitis abacta, tussis crebrior, molestior, sputa puriformia, confluentia; respiratio obliqua et difficilis facta cum doloribus pungentibus humeros et pectus permeantibus; oedema pedum increvit; febris vero exacerbationes duas, pomeridianam unam, alteram vespertinam, horroribus inchoantes, aestu et siti finientes celebrare adsuevit. Loco salep coquuntur lichen. island. dr. duae, et linctus emulc. exhibetur, manentibus caeteris. Tussis leniendae, agrypniae fugandae gratia exhibetur a 11. Dec. omni nocte unus alterve pulvis acetatis morphii sextam gr. partem saccharo mixtam tenens. — D. 17. Dec. Increvere symptomata thoracica cuncta, situ in nullo latere amplius bene concesso; lethifera febris, longiores nunc celebrans exacerbationes, socios accepit sudores macerantes; perstat indomitum ventris profluvium; oedema extenditur; emaciatio viriumque exhaustio rapido ultra progreditur passu. — Dcti. r. polyg. seneg. et lichen. island. ex āā dr. duab. p. unc. sex, cum tinct. opii scrup. syrup diacod. uncia; caetera manent eadem. — Die 22. Dec. Loco polyg. seneg. coquuntur cum lichene island. duae dr. rad. colombae; resumuntur penes caetera enemata. — D. 28. Nov. praescriptorum usus. Nil minus tamen morbus luctuosus velociter fini suo adpropinquat, post augmentum enim cunctorum, comparitionem decubituum, aeger a cruciatibus morte exsolvitur die 26. Decembris.

Exstispicium.

Calvaria tenuis, levis; sinus longitudinalis superior sanguine orbus; arachnoideam inter et piam matrem, nec non in cerebri sulcis transudata lympha flavo-albicans; substantia cerebri flavescens et solito mollior; in ventriculis cerebri parum expansis serum stagnans griseum; plexus choroidei pallidi, in sinistro duae hydatides pisiformes; glandula pinealis insolitae magnitudinis tres hydatides minores et aliquot lapillos continens; hypophysis magna cum infundibulo tubulato juncta; in fundo cranii uncia seri rubro-flavidi stagnans. In postica laryngis pariete plaga tres lineas longa et totidem lata ex fusco-rubra et tumida. In cavo thoracis duae circiter librae seri ex ru-

bro-flavescentis accumulatae; pulmonum lobi inter se et cum pleura costali ope filamentorum tenacium concreti; parenchyma eorum marcidum, sanguine orbum. Pericarpium per totam superficiem internam externae cordis faciei filamentorum ope firmiter adcretum; cor parvum, flaccidum, exinanitum. Hepar ex rubro-fuscum, sanguine atro repletum; cystis fellea bile mucosa flavescente distensa; lien et pancreas ad normam. Omentum exile, post colon transversum retractum. Ventriculus collapsus, interne multum coloratus. Intestina tenuia coarctata extrinsecus tribus ulceribus nigricantibus erosa; eorum membrana intestini recti crassa, dura, hinc inde excoriata et ubique ex nigro-coerulescens; glandulae mesentericae tumidae et obduratae; organa uropoëtica ad normam.

Febris rheumatica superveniente erysipelate et encephalitide.

S. K. infirmarius in nostro clinico, 47 annorum, habitus apoplectici, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, non vaccinatus, aetatis anno 12. exantlavit variolas, anno 30. scabiem et anno 40. febri intermittente laboravit; hanc immediate excepit oedema pedum per bimestre aegrum molestans. Die 26. Novembris anni 1834 artis nostrae auxilium implorans in numerum aegrorum clinici suscipitur et anxius debili voce enarrat: ante sex dies sibi refrigerium aestuante corpore admisisse et exinde dysphoriam, lassitudinem, cephaleam, sitim morbosam, tunc dolores per abdomen, humeros et dorsum trahentes percepisse, mox friguisse, mox alsisse victumque aversasse; die praegressa longo frigore conquassatum et dein per noctem intenso calore cruciatum fuisse, cum augmento dictarum molestiarum et accessu vomituritionum et dolorum ad pectus pungentium, respirationem gravantium. Indagantibus offert: caput grave, vertiginosum, faciem turgore, calore et rubore insignem; obtutum vivacem, oculos splendentes, erga lucem sensiles; periodicam otalgiam; nares siccas, os humidum, linguam muco albido conspurcatam; queritur de doloribus in nucha et dorso, praesertim ad lumbos residentibus, tensivis, continuis, reformidat contrectationem harum partium, colli et trunci motum anxie evitat; efflagitat potum largum, acidulum, aversatur cibos; torquetur

vomituritionibus, habet saporem amarum; respirat frequentius, quidpiam laboriose et anxie, profundius inspirium excipit tussis sicca dolorque sub sterno et ad latera pectoris pungens; in abdomine nihil morbosi; cutis amoene calida; lotium rubri coloris, turbidum; pulsus aequales, frequentiores, fortes et duriusculi reperiuntur. — Dti. r. alth. unc. octo, nitri puri dr., syr. sambuci semiunc. Dt. hordei c. oxymel. simpl. p. potu.

Die 27. Novemb. (7. m.) A crepusculo horripilationes, per noctem magna exaestuatio et omnium symptomatum exacerbatio; primo diluculo sudor largus, acescens, levans. Mane febris mitior, caput et respirium liberius; sapor minus amarus, sitis minor; diaphoresis modica; urinae ex fusco rubrae, turbidae; alvus semel mota fluida; dolores ad lumbos et tergum evaniti, ad cervicem perstant ejusdem intensitatis et jam ad aurem dextram extenduntur. — D. 28. Novemb. (8. m.) Nocte iterum exacerbatio ab horrore inchoans, majori tamen ferocia ac praegressa nocte incedens et crebra vomituritione nec non vomitu fluidi fusci, amari stipata. Mane capitis temulentia et vertigo insignior ac pridie; in fronte tumor ad capillitium et palpebras, sine certo limite, diffusus, parum elevatus, pruriens, nitens, rosei coloris, post pressionem pallescens: genae profundius et circumscripte rubrae, reliqua facies et conjunctiva bulbi flavescens; sitis enormis; lingua muco crasso, flavo conspurcata; sapor amarus; nausea, ructus et vomitus fluidi fusci, acerbi; dolores cervicis multum mitigati; respiratio frequens, anxia; praecordiorum sensilitas aucta; sudor largus, glutinosus, acidum redolens; alvus flatulenta, fusci coloris, fluida; lotium ex rubro fuscum, turbidum; pulsus perquam frequentes, duriusculi, suppressi. — Dt. r. graminis tamarindinati unc. octo, syrup. samb. unciam, potus ut pridie; erysipelas linteo molli, sicco velatur. Vespere cessant symptomata gastrica; febris est validior; plaga erysipelatosa magis tumet, ardet et profundius rubet; caput grave dolet; facies multum turget; oculi lacrymantes caligant; susurrant aures; hallucinantur sensus interni; animus irascitur. Applicantur san-

guisugae duodecim retro aures. — D. 29. Novemb. (9. m.) Post sanguinis depletionem recessere symptomata cephalica, remisit febris, intravit somnus quietus. Mane diaphoresis larga; febris mitior ac heri; erysipelas plus elevatum, magis dolet, saturatius rubet, et durescit. Per diem somnolentia et somnia terrifica. Vespere erysipelas a fronte ad reliquam faciem extenditur; febris et encephalosymphoreseos symptomata exacerbantur — sinapismi brachiis et cruribus imponuntur. — D. 30. Novemb. (10. m.) Brevi post visitationem vespertinam conquassavit aegrum frigus desinens in calorem intense urentem, comite siti tantalea et continua corporis jactatione; intravere serius phantasiae ludibria, mussitavit nunc, nunc vociferavit, mox (circa mesonyctium) lectum mira celeritate deseruit, adstantesque infirmarios blasphemavit, ligatus tunc herculeas explicavit vires. Mane capite fervet, mox ridet mox vultu feroci minatur; furiose delirat, aufugere conatur; oculi illacrymati, sanguine turgidi lucem fugiunt, pupilla pertinaciter coarctata; respiratio magna, tarda, suspiriis intercepta; in abdomine nil morbosi; extremitatum mira mobilitas et taurinum robur; pulsus parvi, duri, perquam frequentes: erysipelas, notis phlegmones insignitum, omnem occupat faciem. V. S. ad unc. octo. Dt. r. gramin. unc. sex, sal. Glaub. dr. sex, tart. emet. gr., syr. simpl. unc.; emuls. amygd. p. potu; emplast. canth. ad cervicem; sinapism. ad brachia et femora; influxus lucis arcetur, strepitus omnis vetatur. Vesp. Incisa vena mediana sanguis impetuose proruebat glutinosus, ater, mox in placentam secedens grandem, firmam, crusta phlogistica trilineari coronatam et parco sero innatantem. Post phlebotomen pulsus sese parum elevabat et lenimen transitorium intrabat. Nunc iterum violenter furit, dentibus stridet, adstantes inspuit. — Capiti capillis orbo epithemata glacialia imponi jubentur et interne penes caetera: Rp. Calomelanos gr. semis, sacchar. gr. decem, exhibeantur tales doses Nro. sex, et omni secunda hora propinetur pulvis unus. Hora post pulverem primum assumtum vix elapsa intrat vomitus succi gastrici et jam deliria furiosa alternant cum sopore; recedit erysi-

pelatis tumor, rubor nitorque in fronte; ferocia componitur, vultus fit indifferens, carotides creberrime et fortiter vibrant; thorax parum et cito movetur. V. S. ad unc. octo, vesicantia duo ad pectus; continuantur epithemata glacialia, mixtura, et potui nitri dr. additur. Post sanguinis detractionem nulla in pulsu mutatio; sanguis emissus modicam crustam inflammatoriam et fere aequalem crassamenti et seri proportionem exhibuit; erysipelas in reliqua facie collabitur, pallescit; deliria furiosa luculentius remittunt; protrahitur sopor cum oculis fixis, palpebris semiclausis, pupilla dilatata, respiratione cerebrali, sudore frigidiusculo, viscido, foecum et lotii involuntario secessu, pulsu frequentissimo, parvo, molli. Hora noctis decima denuo aperitur vena et unciae octo emulgentur sanguinis sero abundantis, aegre in coagulum abeuntis. Nunc exhaustio virium rapido cursu progreditur; quod restat erysipelas oedematosum, squalidam induit formam; facies collabitur, in longum protrahitur; respiratio summe laboriosa tarde et interrupte contingit; cutis sudore frigido viscida cadaverosum spargit odorem, rigent extremitates; pulsus summe exiles intermittunt, mox evanescunt; movetur adhuc cor segne tardeque et hora quarta antelucana 1. Decemb. etiam ultimum hoc vitae vestigium deficit.

Sectio cadaveris.

Falx major sanguine liquido scatens, vasa venosa ei vicina in varices expansa; arachnoidea hinc inde adiaphana; pia meninx ubique incrassata; vasa ejus in minimas ramificationes sanguine farcta, hasce inter membranas magna seri turbidi, lactei coloris quantitas accumulata; substantia cerebri compacta et sanguine dives, ventriculorum lateralium, qui insigniter dilatati conspiciebantur, dexter ultra tres drachmas, sinister paulo minorem quantitatem seri pellucidi, grisei tenebat; in superficie interna partis basilaris ossis occipitis, exstat protuberantia ossea, oblonga, nucem avellanam majorem volumine aequans, foramen occipitale coarctans; in fundo cranii sex drachmae seri sanguinolenti collectae; pulmones sani; cavum pericardii semuncia seri lutei plenum; cor marcidum, in cavo abdominis praeter lienis volumen magnum, renesque minores, et praeter aërem ventriculum et intestina expandentem nihil, quod a norma abludat, reperitur.

December.

Tempestas, uti huncce mensem decet, in genere nubilosa, inserena, humida et ventosa. In specie prima dierum decade sudum adhuc aliquoties coelum et leniores praesertim Circii flatus; altera pluviis, nivibus, nebulis ventisque abundans, tertia vero omnium tristissima eadem flante impetuoso Cauro nimbi frequentes largaeque nives cito tamen diffluentes. Baroscopii statio absque notabili saltu insolite alta imprimis exeunte mense. Thermometrum quoque summatim majorem servavit stationem, quam Decembri competit, praeprimis prima ejus decade, serius fere non semper circa punctum glaciale oscillans.

Medius Barometri	status fuit	. . . .			28″	6‴	1⁗
Maximus	»	»	»	die 28.	mensis	28	11	5
Minimus	»	»	»	— 17.	—	27	9	10

Medius Thermometri	status fuit	. . . . . .			+	1,64° R.
Maximus	»	»	»	die 8. mensis	+	9,0
Minimus	»	»	»	— 24. —	+	3,8

Character morborum gastro-adynamicus etiam hoc mense principavit, licet ejus ditio per frequentiores febres et inflammationes minueretur, reddito etiam morborum decursu segniore longe minus insidioso. In specie febres rheumaticae frequentiore nota gastrica utplurimum pollutae; his proxime accessere gastricae signis catarrhosis passim nuptae, nervosae jam rariores; catarrhosae contra uberiores ac mente praegresso offendebantur; priores etiam benignius decurrebant, aliquoties in decrementi stadio tussim sibi cum sputis puriformibus adoptabant. Febres intermittentes perrarae et magis typo subcontinuo additae, puerperales phlebitidis formam sistentes, pulmones lubenter in compassionem trahebant, atque eorum hepatisationem et matricis phthisim non raro inducebant. Inflammationes phlegmonosae adhucdum passim tantum, rheumaticae autem, crebro occursabant atque in effusiones et metastases faciendas festinabant. Epidemia variolosa ab

Octobri h. a. persistens hoc mense extensione et ferocia crevit, benigna quidem varicella frequentissima, sed frequens quoque varicella vera adparuit et medietatem fere correptorum, quorum vix non omnes vaccinae beneficio erant destituti orco tradebat; variola modificata aeque sat frequens visa, aegros sedecimavit. Erysipelas plerumque faciale non rarum; miliaria morbis variis praesertim febribus rheumaticis et nervosis accedebant. Scarlatina vix ulla. Inter cachexias phthiseos plurima funera; hydropes crebri, haemoptyses et metrorrhagiae complures; diarrhoea symptomatica non rara. Ex nevrosibus paralyses et apoplexiae observatae. —

Febris inflammatorio - nervosa cum congestionibus ad encephalon.

J. P. 18 annos nata, netrix, bene nutrita, sensibilis; ante biennium angina laboravit et eodem tempore primis salutabatur catameniis, semper ab hinc regulariter omni ratione decurrentibus; vitam degens sedentariam alvo erat adstricta, secus prospera gaudebat valetudine. Die circiter 24. Novemb. anni praegressi invadebant puellam, sine causa nota, lassitudo atque dedolatio totius corporis, anorexia, ructus, vomituritio et abdominis inflati tensio; perstabant molestiae et pertinax alvi stipsis per septimanam numero eaedem, intensitate ad vesperas graviores, mitiores mane; accedebat die 1. Dbris. a. c. caloris notabile augmentum, cephalea gravativa, vertigo, oculorum caligo, aurium susurrus, faucium ardor, tussicula sicca, lecti desiderium et sudor universalis non levans; accersitus chirurgus praescripsit pilulas ex saponaria, aloë, sale Glaub. rheo et massa pilul. Rufii. Fruebatur his aegra in sui detrimentum; sequebantur die 5. et 6. Dbris. alviductiones numerosissimae cum pedisequo virium lapsu; propinatum die 8. Dtum. r. graminis c. sale ammon., tart. stibiat. r. d. et hydromel. infant. statum morbi non emendabat; intrabat noctu delirium mite et die sequente 9. Dbris. vespere ad clinicum deportata offert: caput grave, vertiginosum, vultum indifferentem, faciem calentem; oculos

sanguine turgidos, photophobiam et photopsiam; aurium susurrum et baryecoiam; linguam siccam, tremulam; saporem limosum, anorexiam, sitim inexpiabilem, loquelam balbutientem; in collo sub deglutitione ardorem; carotides vehementer vibrantes; respirationem sanam; abdomen meteoristicum sensile; pulsum frequentem, tensum, suppressum. — Dti. r. alth. unc. sex, sal. ammon. dep. gr. decem, syr. alth. semiunciam — dtum. salep p. potu; — sanguisugas octo retro aures; catapl. emoll. ad abdomen. — Vespere. Abdomen magis sensile, ceterum status morbi vix alius ac mane — sinapismi ad plantas pedum. — D. 10. Dbris. Per noctem aegra saepius lectum deserere tentavit, permultum bibit, crebro deliravit et alvum fluidam, flavam una cum urinis bis deposuit. — Mane obtutus languescit, frons alget et sudat; facies amisso turgore pallescit; os, lingua et sitis uti heri; nullus in faucibus ardor; respiratio citatior; meteorismus major; in regione iliaca dextra sub pressione fixus et acutus dolor; cutis mollis, grate calens, modice transpirans; subsultus tendinum, pulsus, relate ad hesternos, frequentiores minus duri, sufficienter fortes. — Dto. — infus. ex r. alth. ex unc. dimidia, et r. ipecac. gr. decem, unc. sex, syr. diacod. unc. dimidiam; potum hesternum continuari, enemata amylacea bis de die injici, regioni iliacae dolenti cucurbitas cruentas quatuor adplicari, et plagas ita vulneratas ope unguenti stibiati in suppurationem converti jubetur. Vix mutato per diem morbi statu, vespere sinapismi ad suras adplicantur. — D. 11. Dbris. quies et sopor noctis dimidio priore, posteriore vero thermogenesi aucta, diaphoresis larga et deliria. Mane oculi sat vivaces; lingua humescens, cutis grate calens, sudans; nulla diarrhoea; lotium parcum, turbidum; pulsus aequales, frequentes, fortes et pleni; cetera symptomata numero eadem, intensitate mitiora. Haud alius morbi status observatur die subsequa, et therapia pridie ordinata continuatur; proxima vero die 13. Dbris. characterem febris inflammatorium magis recedere et characterem neuropathicum una cum ileitide eminere cognoscimus ex debilitate virium insigniore, deliriis subcontinuis,

mitibus; capitis vertiginosi gravedine; faciei collapsu et pallore; oculorum caligine; aurium susurru; linguae siccitate; respirationis celeritate et labore; pulsu perquam frequente; ex meteorismi incremento; dolore ad ileum acutiore et alvo crebrius fluente; vespere symptomata cephalica graviora; exaestuatio totius corporis cum siccitate cutis. Sinapismi ad plantas pedum; cetera manent eadem. Die subsequa 14. Dbris., sub eadem therapia, omisso tamen, quod sufficientem pustularum numerum produxerat, ung. stibiato, similis morbi remittentis vespere et noctu exacerbati imago. — D. 15. Dbris. Penes pridie animadversa characteris neuropathici symptomata observantur hodie in collo, pectore et abdomine miliaria crystallina, una cum facie plus alienata, animo magis indifferente et pulsu vere debili et vacuo. Inf. e r. arnicae dr. una et r. ipecac. gr. decem unc. sex, camphor. subactae gr. unum. mucilag. g. arab., syr. diacod. aa unc. unam — dtum. salep p. potu et enemata amylacea contin. sinapismi ad femora. Vespere aliqua in sanguine exorbitantia in turgore, calore quidpiam auctis, pulsuque magis elevato et pleniore conspicua. — D. 16. Dbris. Exacerbatio hesterna vespertina continuavit una cum inquietudine et deliriis mitibus ad mesonyctium usque, tunc soporosa quiete decubuit aegra. Mane lingua humidior; respiratio difficilior; meteorismus minor; dolor ad ileum exiguus; flatus frequentes, alvi dejectiones binae aquosae; urinae nubeculosae; sudor largus; miliaria in dorso comparent nova; instat decubitus ad nates, cetera symptomata numero et intensitate eadem ac heri mane. — Augetur arnica ad dr. unam et dimidiam et camphora ad sesquigranum; nates irritatas deligare praecipitur linimento ex albumine ovi et spir. camphor. — hodie vespere minor exacerbatio ac heri et nox subsequa quietior ac praegressa; — mane die 17. Decemb. laetatur aegra de revertente valetudine, ostendit vultum serenum; caput et sensus in- et externos liberiores; motus musculares validiores, comedit avide juscula, efflagitat vinum; respirat liberius; lingua ei minus arescit; abdomen decrescit et obtusius resonat; plagae sinapismis ru-

befactae acutius urunt; habet crebros flatus levantes; lotium copiosum turbidum; cutem grate calidam transpirantem; pulsum frequentem sufficienter fortem; miliaria hesternae extensionis flavent; decubitus non increvit; — potui aliquot cochlearia vini admiscentur, manente therapia reliqua eadem. — Per diem vix non idem status. Vespere dissipientia et deliria crebra; caput calidum, facies turgida; oculi vivaces; lingua subsicca; sitis enormis; respiratio brevis, multum laboriosa, saepius suspiriis intercepta; cutis minus grate calet, minus transpirat; pulsus longe frequentior, fortitudinis matutinae, in exanthemate haud ulla offenditur mutatio. Omittitur vinum, seponitur mixtura; pedibus adaptatur sinapismus; ast hora jam sexta vespertina praecoci fato tranquille occubuit.

Necroscopia.

Calvaria tenuis, falx major dilatata, sanguine fluido scatens; dura mater et arachnoidea normales; pia meninx incrassata, vasa ejus sanguine turgida; hinc inde exsudatio serosa; ventriculi tricornes dilatati, unciam dimidiam seri continentes, sic aeque morbose stagnans fluidum serosum in reliquis ventriculis et in fundo cranii; ad juncturam partis basilaris ossis occipitis cum osse sphaenoideo protuberant excrescentiae osseae volumine pisum aequantes — membrana mucipara laryngis profunde rubra et incrassata. Pulmonum lobi tam inter se, quam cum pleura costali hinc inde concreti, in libera superficie autem, coagulo lymphatico tecti, eorum substantia normalis. In singulo cavo thoracis libra integra, in pericardio quinque unciae seri flavidi stagnantes. Cor exiguum, flaccidum, pallidum, ejus parietes tenues. Hepar ponderosum, pallidum, molle, friabile; splen magnus, consistentiae pultaceae; ventriculus ad normam, sic aeque jejunum. — Intestini ilei mucosa membrana versus valvulam coli profunde rubra, ulcusculis diversae formae discretis, et confluentibus, profunde penetrantibus et margine parum elevato provisis obsita; in parte ejus ab intestino coeco dissitiore apertae ulcerum cicatrices. Renes, urocystis et uterus ad normam.

Vomitus ex infarctu hepatis passivo.

T. P. coqua, 23 annorum, tenera atrabilaris; infans 9 ann. icterum, serius anginam et vicennalis febrem nervosam passa est. Mense Julio 1834 ardor et oppressio epi-

gastrii, nausea et eructatio aëris acidi fluidique acris, sine causa comparebant, puellamque omni die per aliquot horas gravius post ingesta quaecunque acidula molestabant. Incuriosa auxilium medicum sprevit, malum augebatur; prae caeteris eminebat dolor ardens et constringens in epigastrio; accedebant circa finem mensis Decemb. vomituritiones crebrae et violentus vomitus materiae acris, mucosae, viridicantis. Temeraria, sibimet ipsi medicamen factura, utebatur Rheo; mense Decembre demum malo ingravescente, consuluit medicos, non sprevit agyrtarum arcana; et sic remedia adhibuit diversissima; malum acquirebat vires eundo. Tandem 23. Decembr. opem quaesitura Clinicum intravit, sequentibus adflicta signis morbosis: capite per vices vertiginoso; facie sine vigore pallida; oculis languidis, plumbeo annulo cinctis; lingua muco albo conspurcata; siti aucta; sapore amaro; adpetitu variabili; voce rauca; faucium rubore et dum profundius inspirat, dolore juxta oesophagi decursum urente; motum trunci sequitur respiratio difficilis et cardiopalmus; in hypochondrio dextro tangitur juxta hepatis situm tumor durus, doloris expers; catamenia, legitime semper fluentia, nunc ex bimestre silent; alvus segnis; pulsus parvi, molles frequentiores; cutis fuscedine foedata; quoad calorem normam vix transgressa. — Aq. flor. tiliae, aq. com. $\overline{aa}$ unc. duas, extr. tarax. dr. duas, tinct. rhei aquos. sesquiunc.; Aquae com. libr. duas, acid. tartr. gr. 15, syr. rubi idaei unc. p. potu; victum vegetabilem. — Ante meridiem, quin quid argui potuisset, vomitus insequebatur una vice, quo cibi indigesti farinacei, praegressa die comesti, rejiciebantur; jusculum, quod meridie sorbebat, aeque post horam cum fluido vapido, mucoso, tenaci remixtum vomitu rejicit. Per noctem somno quieto fruebatur; alvum deposuit solidae conditionis; urinas misit ex flavo fuscas. Diebus subsequis septem (24. — 30. Decemb.) vix non eadem vomitus modo semel, modo bis terve de die contingentis, scena observabatur; jecur autem mollius, lotium pallidius, pulsus tranquillior evasit; e sanguinis congerie ad encephalon per vomitum inducta et sustentata, caput graviori

vertigine laborat et functio visus turbatur, amblyopiae et diplopiae formam ludens. Dti. r. gramin. tamarindati unc. quatuor, inf. senn. c. man. et syrup. rubi idaei āā unc. dimid.; potus manet; sinapismos ad suras. Nunc per spatium sedecim dierum sanguis rarius et moderatius in cerebrum irruebat; interdum vero pulmones obruebat, pariens difficultatem respirii et anxietatem; vomitus non quotidie amplius, sed consuetim omni altera die, horis praeprimis matutinis, sed et alio diei tempore, nunquam vero noctu contingebat et esculenta praecedentis diei vix mutata una cum succis inquilinis efferebat; hepar mox plus, mox minus tumebat, sic quoque sensilitas ejus fluctuabat, pulsus, quoad reliquas qualitates fere normales, semper frequentius et celerius micabant; lotium mingebatur constanter saturate rubrum; alvus vero de die in diem segnior evasit, quamvis die 2. Jan. dos. inf. sen. c. man. ad unc. integram et die subsequa ad unc. duas aucta, porro die 6. Jan. dr. duae salis Glaub. medicamini additae et a die 12. Jan. enemata solvent. ex dcto r. gramin. et r. tarax. cum sapone et oleo bis de die injecta fuerint; ceterum adpetentia ciborum mansit illaesa; comedit juscula cum ovis, panem et embama, sitis semper aucta; corpus macescens, terrestrem induit colorem. — D. 17. Jan. Mane circa horam 5. vomitus consuetus; modo penes reliqua respiratio difficilis cum angustationis in pectore sensu; situs dexter anxietatem auget; totum epigastrium et hypochondrium dextrum acutius dolet; Aq. flor. tiliae, aq. com. āā. unc. duas, extr. gram. liquid. dr. duas, aq. lauroceras. scrup. duos; potus et enemata continuantur. Diebus subsequis 18. et 19. Jan. sub eodem tractamine vix non eadem morbi imago, nisi quod emesis quotidie bis, tempore antemeridiano contingebat. — D. 20. Jan. circa mesonyctium vomuit, secus placide dormivit; modo respirii difficultates placatae; dolor ad hypochondrium dextrum restrictus mitior; circulus sanguinis tranquillior. Aq. foenicul. unc. quatuor, extr. quassiae gr. 10, tinct. rhei aquos. unc. duas, enemat. contin. Hortatur simul aegra ad esculenta diligentius masticanda. — D. 22. Jan. Heri circa horam 8. et 10. matutinam, quam vespere et 1. noctu

consuetus vomitus; modo: capiplenium; faciei pallor et languor; anorexia, sitis cum ore sicco; respiratio cita, laboriosa cum cardiopalmo; dolor ad exiguam epigastrii plagam restrictus, continuus, fixus, tactu valdopere adaugendus; manus calent, pedes frigent, cum sensu formicationis; pulsus frequentes et parvi non eximie duri. Emuls. oleos. unc. sex, aq. laur. ceras. dr. semis; Emuls. amgyd. pro potu; catapl. emoll. ad epigastrium; victus ad juscula restringitur. Omnia per diem deglutita, vespere uno vomitu rejiciebantur cum succis inquilinis chaotice mixta, non tamen ab iis subacta, brevi enim partes medicaminum oleosae et mucilaginosae supernatabant. — D. 26. Jan. Gravamina respirii pro parte composita, dolores ventris omnes sopiti; emesis rarior, sed violentior; debilitas universalis et emaciatio corporis mire in dies crescunt. Tentatur per dect. Chinae c. syr. cortic. aurantior. digestioni robur et per enemata ex dto. rad. salep c. vitel. ovor. dare pabulum. Ast saeva morbi natura irritum facit hoc artis conamen, et sequente die, 27. Jan. nec dct. cort. peruvian. unc. sex c. liquor. m. Hoffm. semidrachma et syrup. cort. aurant. uncia omni hora sumendum cochleatim, nec vinum austriacum generosum aqua temperatum pro potu adhibitum; nec dto. inf. ex cort. chinae uncia et flor. chamom. dr. duabus c. vitello ovorum trium in quatuor portionibus intestino recto injectum; nec anaticae partes tinct. cinnam. et liq. m. Hoffm. cum signatura, ut post singulam emesim gttae 10 sacch. instillatae deglutiantur, valebant vomitum frenare et vitam rapide labentem prolongare. — D. 28. Jan. summe debilis, tamen sibi conscia mane et meridie jusculum vinosum comedit; a meridie vero adhuc semel contigit vomitus facilis; dein abolita conscientia; evadente respiratione stertorosa, laboriosa; evanescente pulsu; enemate et urinis involuntarie missis; algentibus et liventibus extremitatibus tranquille noctu supremum obiit diem.

S e c t i o c a d a v e r i s.

Pulmo uterque hinc inde pleurae costali adcretus, sanguine pauper, collapsus, quod texturam normalis; in pericardio sesquiuncia seri flavidi; cor parvum, flaccidum, ejus atria sanguine orba. Omen-

ta tenuia, fere consumta; ventriculus aëre expansus, triplum offerens volumen, externe striis et punctis atro rubris notatus, interne duas uncias chymi tenens; tunica ejus villosa, laxa, incrassata; haec incrassatio ad pylorum et pylori valvulam tanta, ut hujus partis lumen vix calami scriptorii amplitudinem habeat. Intestina crassa aëre distenta, faeces exiguas continentia; tenuia coarctata, mucipara eorum tenuis, pallida, flaccida. — Hepar grande, ponderosum, sanguine dives, substantiae tenacis; in ejus superficie convexa levia exsudata lymphatica; pars concava et margo anterior per velamenta duodeno et coloni transverso adnexa; in margine anteriori ad fossam pro vesica cicatrix ex praegresso abscessu; cystis fellea texturae prorsus alienae, partim incrassata, partim distenta, in plura diverticula divisa, sexaginta quatuor calculos polygonos, albescentes tenaces includens; ductus cysticus coalitus invius; ductus hepaticus et choledochus pervius, alius praeterea ductus abnormis a vasi vesicae ordiens et supra valvulam pylori in ventriculum se insinuans, cujus lumen lineam amplum. Lien parvus, per ventriculum retrorsum pressus, caetera interanea vix a norma abludentia reperta.

Febris gastrico - catarrhalis subnervosa.

A. P. 26 annorum ancilla, tenera, anno aetatis 15., morbillos exantlavit et postea pluries angina tonsillari laboravit — mense Octobri et Novembri a. c. cum oophoritide ex menischesi orta in clinico nostro decubuit; hirud., dtum. alth. c. sale Glauberi, tart. borax., aq. laurocer., catapl. emoll. atque ejusmodi enemata, nec non balnea univ. inflammationem solverunt et menstruorum fluxum restituerunt, ut die 12. Decemb. sana dimitteretur. — Die 23. Dbris. sine causa cognita cephalea, dolores in abdomine trahentes, tormina, alvus diarhoica; anorexia, dysphoria. — D. 24. status idem; die 25. Dbris. accedunt vertigo, frigus et calor alternantes, faucium ardor, ciborum, aversatio, respirii difficultas et tussis; post noctem summe inquietam, mane die 26. Dbris. consilium capit clinicum adeundi: cephalea obtusa frontalis, facies calens, turgens; oculi sanguine turgidi, photophobi; coryza; lingua muco crasso obtecta; ciborum aversatio, sapor limosus, nausea, sitis morbosa, respiratio normali parum brevior, cita, profundior tussim prolicit, tussis molesta, frequens, humida; sputa aquoso-mucosa, epigastrium tensum, sensile, calor cutis sudore

madentis auctus; pulsus frequentes, molles, pleni, fortes, aequales; alvus diarrhoica, dedolatio artuum insignis. Dt. gram. et althaeae aa libram, oxymel. simpl. unc. — D. 27. Dbris. caloris et sitis augmentum et penes hesterna cingitur sensu ponderis sub sterno, respiratione cita, brevi, abdominali, tussi molesta cum sputis tenuibus, cruore remixtis. V. S. ad unc. sex. Dt. r. alth. unc. octo, nitri puri scrup., syrup. simp. unc. semis. — potus uti heri — cataplasma ad pectus. — D. 28. Dbris. Sanguis eductus in placentam coivit densam sat magnam, crusta inflammatoria provisam — lenimen exinde, quoad respirationis munus notabile; alvi fluxus crebrior. Omitt. nitrum; vespere magna inquietudo. — D. 29. Dbris. Nocte catamenia prodeunt; febris mitior, respiratio liberior, tussis rarior, sputamina cocta, facile excernenda; perstat oris spurcities, fluxusque alvi. Dct. r. salep. unc. sex, salis ammon. dep. gr. 12, syrup. diacod. unc. semis et dtum. salep p. potu. — 30. Decemb. — 1. Januarii. Recedunt veloci cursu molestiae pectorales, prominent magis gastricismi indicia, perstat diarrhoea, stillant catamenia, vires labuntur. Inf. ex r. ipecac. gr. decem, unc. sex, salis ammoniac. gr. duodecim, syrup. diacod. unc. Inf. flor. verbasc. p. potu. — D. 2. Jan. Post noctem inquietam et somniis turbatam offert cephaleam gravativam, vertiginem, vultum tristem, faciem collapsam, linguam subsiccam, muco flavescente obtectam, polydipsiam; respirationem consuetam sanam, inspirium profundius tussiculam movet; abdomen paulo grandius meteoristicum, in regione inquinali dextra sub pressione dolens, alvus fluida quater deposita, grave olens, cutis calida sicca; pulsus frequentes molles, sufficienter fortes, delassatio magna; catamenia cessant. Vesicans ad partem abdominis dolentem, deinde plaga vulnerata unguento stibiato illinienda; enemata ex amylo in aqua soluto, vitel. ovi et tinct. opii, cetera eadem. — D. 3. Jan. Per noctem sopor continuus et vomitus aquosus; caput et facies uti heri; lingua praerubra, sitis clamosa, loquela abrupta; vomiturítiones, respiratio cita, anxia, meteorismus major; alvifluxus inscia aegra contingit, pulsus evadunt frequentiores et debiliores; medicamini additur dr. una et dimidia r. arni-

cae. — Vomitus interdiu frequens, praeprimis hausto medicamine; vespere febris intensior, respirationis difficultas major; omittitur ipecac. substituitur salep, empl. cantharid. ad sternum; sinapismi ad femora. — D. 4. — 5. Jan. Caeteris non mutatis accessit baryecoia, musculorum tremores, pusillanimitas et mortis timor cum facie magis defigurata. — D. 6. Jan. Nocte sudor et somnus interruptus; nunc os humescit, tussis crebrior cum sputis tenacibus difficile excernendis, cutis amoene calida, modice transpirat; alvus semel deposita, pulsus magis evoluti, obtutus laetior, animus hilarior, caeterorum mitior natura. Inf. e r. arnic. dr. duab. polygal. seneg. dr. una, unc. sex cum sale ammon. et syrup. diacod. eadem proport. uti prius; aqua com. c. syrup. rubi idaei p. potu. — D. 7. Jan. Somnus somniis interruptus; animus dejectus, oppressio pectoris insignis, tussis molesta, obtutus languidus, turgoris imminutio, siccitas cutis, meteorismus; pulsus debiliores. Ingreditur priora inf. r. ipecac. praeterea empl. vesicans intra scapulas et sinapismi ad brachia. — D. 8. Jan. Eadem ferme morbi imago laetior ac pridie, atque contingente sudore iterum modico, amoeno anacatarrhsi levi et urina turbida parum hypostatica, exhilaratur animus et facies; recedit sitis, evigilat ciborum adpetitio; pulsus elevatur, alvus manet clausa; sal. ammon. omittitur. — D. 9. Jan. — Omnia symptomata mitiora, alvus nondum secreta, ordinatur enem. purgans. Hora tertia pomeridiana hujus diei ingruit horror ad horam extensus, tunc aestus, sudor, cephalea, aurium susurrus, faciei ardor, sitis magna, sapor fatuus, anorexia, tussis cum sputis mucosis, abdomen expanditur, pulsus suppressi frequentes. — D. 10. Jan. Per noctem sudor modicus, mane caput temulentum, facies collapsa pallida, vultus indifferens, aurium susurrus et baryecoia perstant aeque ac conditio oris, sitis et saporis, oppressio pectoris, meteorismus major, pulsus debiles; therapia eadem; vesperi levis exacerbatio; sinapismi ad femora. — D. 11. — 15. Jan. Iterati sudores et urinae largae hypostaticae noviter exorsos composuere motus febriles omnes — per sputa cocta catarrhum judicabatur. Exsuperat nunc macies, debilitas

muscularis, digestionis eminens languor; pharmaca amaro-aromatica: Inf. herb. centaur. minor., r. rhei, calam. aromat. cort. aurant. una cum regimine adaequato has morbi gravis et versiformis reliquias pedetentim profligarunt, ut resarcita materia arganica et restituto functionum tenore atque vigore aegra die 15. Februarii perfecte sanata clinico valediceret.

Januarius.

Autumni serotini potius quam hiemis imaginem praebuit; crebrae et densae nebulae obfuscavere solis lucem, rarae volitavere nives facile contabescentes, frequentiores e contra fluxere pluviae. Initians, uti solet, mensis reliquis frigidiores sat serenas habuit dies, altius simul barometri, mercurius ascendit dum intense et acre flavet Circius. Secundam mensis decadem tenebant Vulturnus et Africus placidius jam spirantes; nebulas ac nubes secum ferebant, gelu mitigabant. Laetior jam ultima Januarii decas, utplurimum serena, sicca ab initio inopinate frigida, mox tamen insolito calida (+ 6° R.). Barometri columna alta, Caurus per vices ingrate feriens indivisum tenuit imperium.

Medius Barometri status fuit			. . . .	28″	6‴	1⁗
Maximus	„	„ „	die 31. mensis	29	0	4
Minimus	„	„ „	— 1. —	27	10	3

Medius Thermometri status fuit		. . . . . .	+	0,35° R.
Maximus	„ „ „	die 1. 11. 12. mensis	+	7,5
Minimus	„ „ „	— 8. —	—	7,5

Qui annum praegressum clausit genius gastrico-nervosus ultro imperare perrexit, simulque characterem rheumatico-catarrhosum satellitem accepit. Distinguebat morbos singularis in decursu inertia; eximia proclivitas in congestiones, crises erroneas et metastases, nisus in exsudationes serosas et metamorphoses organicas. Creberrimae febrium nervosae erant, lente quidem sed cum magna virium debilitate incedentes, saepe luculenter remittentes,

rarius purae aut benignae, frequentius complicatae et lethales. His proxime accedebant febres gastricae, dein rheumaticae vix non semper signis gastricis pollutae. Febres catarrhosae rariores, intermittentes rarissimae; puerperales passim obviae ubique ferme phlebitidem uteri sistebant. Phlogoses crebrius ac mense praegresso occurrentes tunicas serosas et praeceteris juncturas articulationum sedem sibi indicabant, pronae in metastases ad pericardium. Mentionem meretur dysuria hinc inde arthrophlogosim deficientibus metastaseos signis, comitata. Occursabat quoque rheumatismus afebrilis, qui thoracem obsidendo atque respirium praepediendo pleuritidem facile simulavit. Variolarum epidemia hoc mense numero et vehementia decrevit; variola genuina vix quartam et variola modificata haud tricesimam aegrotantium partem exanimavit. Erysipelas faciei sat frequens non raro meninges tentavit. Phthiseos omnis generis, praeprimis tuberculosae pulmonum, et viscerum abdominalium, tunc hydropis magnus numerus. Haemoptoë ex tuberculosi frequens; inter nevroses excellebant paralyses.

Febris inflammatorio-gastrica saburralis, cum physconia lienis activa superveniente lienitide.

N. N. miles viginti annorum, constitutionis laudabilis, temperamenti sanguinei, in infantia crustam lacteam et variolas exantlavit; juvenis 15 annorum febri intermittente quartana per semestre laboravit. Die prima Jan. anni currentis vesperi ciborum copiam haud consuetam devoravit, sequenti jam die ciborum taedium, cephalea frontalis pressiva, artuum delassatio, ad vesperas horripilatio subsequo calore; 3. Jan. vomitus parum levans fluidi viridis amari; 4. Jan. crescit morbi intensitas. 5. Jan. nosocomium adit et in clinicum suscipitur. Cephalea pressiva frontalis per tempora ad occiput protensa, vertigo, nausea, lingua ad radicem tegmine flavescente crasso tecta, sapor mucosus, carnosorum aversatio, sitis modica in dulcia, respiratio frequentior, sublimis, titillatio in larynge et trachea, tussis frequentior,

sputa cruda; abdomen molle cum sensu plenitudinis, sub pressione ubicunque sensile, maxime tamen in hypochondrio sinistro, ubi et tumor tangitur duriusculus, formam lienis aucti aemulans; borborigmi, flatus frequentes, alvus ex triduo haeret, cutis sicca; pulsus frequentiores, fortes subduri. Dt. r. gram. unc. sex, sal. Glaub. syrup. simpl. āā unc. semis. — D. 6. Jan. Febris validior, in hypochondrio sinistro tumor formam lienis ejusque volumen duplum praesentans, durus, dolens; dolor hic urens et lancinans ad humerum et regionem iliacam ejusdem lateris protrusus; inspiratione et trunci motu et attactu exasperandus, situm lateralem praesertim sinistrum prohibens; anxietas abdominalis, stupor et femoris sinistri formicatio; urinae aurantiacae sedimentosae, alvus clausa, V. S. ad unc. octo. Dt. r. gram. et fruct. tamarind. unc. sex, salis m. Glaub. syrup. simpl. āā unc. semis. enema emolliens. Dt. hord. libr. duas c. oxymel. simpl. pro potu. Catapl. emoll. Mox post sanguinis missionem febris et doloris remissio; sanguis e vena missus aperte phlogisticus, cruor largus, crusta densa. — D. 7. Jan. Nox inquieta, alvus bis sequuta, perstat febris; capitis dolores evanescunt, lingua depuratur, tussis minus molesta, sputa cocta, cutis mollis, sicca, calida, urinae turbidae, dolor in liene magis obtusus, minus vehemens et minus lacerans. Venaesectio ad unc. sex; post venaesectionem doloris et febris mitigatio; excernuntur foeces largissimae et foetidae; vesperi caloris universalis et doloris splenitici augmentum, tunc sudor amoenus, levans, universalis, deinde somnus quietus. — D. 8. Jan. Febris modica, gastricismi nullum indicium, praeter linguam ad radicem tegmine flavescente instructam; adpetitus redit, lien unice sub pressione validiore dolet, perstat tamen adhuc grandis; urinae fuscae turbidae cum sedimento rubro, cutis calida sudore amoene madet, omissis venaesectione et sale Glauber. reliqua continuantur. D. 9. — 10. Jan. Sub crisium benigno processu febris disparet, remanet debilitas muscularis, durities et tumor lienis indolorificus; continuantur eadem. — D. 11. Jan. Sal. ammon. gr. quin-

decim; aquae font. com. unc. sex melag. gram. unc. semis; augetur serius sal. ammoniacus ad scrup., melaginis loco extr. taraxaci dr. duae; externe unguent. cinerei et althaeae āā dr. duae in utroque hypochondrio illiniendum; cui postea liq. ammon. puri admiscetur. Reducitur tali ratione lien ad pristinum volumen et sub regimine congruo vires morbo detritae recuperantur ita, ut 27. sanus et officiis absolvendis par dimitti posset.

Pleuritis et peritonitis cum catarrho pulmonum neglecto.

W. H. miles gregarius, 23 annorum, constitutionis fortis, temperamenti vivacis, a patre phthisico oriundus, diram anno aetatis 22. exantlavit pneumoniam, quae post tractamen sex hebdomadum haud exiguas reliquit respirationis difficultates. Accedit mense Septembri 1834 catarrhus pulmonum, hoc vero adhucdum, utpote ab aegro semper neglecto perstante initio Decembris de repente praeeunte vehemente corporis concussione exoritur dolor pungens, tendens in regione cartilaginum ultimarum quatuor costarum lateris dextri, intrat ad vesperas aestus, noxque vigil transigitur. Die proxima remittit pro parte dolor, associant se capitis gravedo, dysphoria, delassatio, dedolatio artuum atque horripilationes cum calore alternantes; increbescunt haec vesperi. Repetitur quotidie eadem morbi scena, quin officiis suis fungendis imparem se profiteretur aeger ad 15. Jan. usque, quo die horripilationes in horrorem diutius perdurantem transeuntes symptomatum vespertinam exacerbationem antecedunt, sudorque largus eorum matutinam remissionem comitatur. Increscit abinde celeri passu morbus, aegerque nosocomium adire coactus in clinicum suscipitur die 20. Jan. Dysphoria, delassatio magna, dedolatio artuum; dolor pressivus in regione frontali et temporum, facies turgida, rubescens, oculi splendentes, photopsia, labia rubra sicca, appetitus dejectus, sitis nulla, sapor salsus et limosus, lingua albida et interdum siccescens; thorax suf-

ficienter amplus, normaliter constructus, dolor pressivus sub sterno; respiratio frequens, brevis, quidquam laboriosa, anxia et sublimis; inspirium profundum non concessum atque nonnisi cum dolore pungente in regione inferioris lobi pulmonis dextri et superioris partis hepatis tentandum; tussis cum adauctione doloris in regione praefata et sputis largis mucosis, flavicantibus, tenacibus; sub motu corporis et pressione ultimarum quatuor costarum lateris dextri, incrementum doloris pungentis continuo in eadem plaga haerentis; incubitus in dextro thoracis latere non concessus; incubitus in dorso dolorem pressivum sub sterno augens; abdomen normaliter expansum, molle, sub pressione superioris faciei hepatis, motu corporis, inspirio profundo et tussi dolor obtusus, pungens intra convexam hepatis superficiem et diaphragmatis partem; depressio hepatis eundem dolorem loco praefato provocat, ceterum hepar nec tumidum nec dolorificum; alvus quotidie conditionis mollis secedit; urina rubra parca; calor cutis aequabiliter adauctus; pulsus aequales, frequentiores, fortes, duriusculi. — V. S. ad unc. sex. Dt. r. alth. unc. sex., nitr. dr., syr. alth. unc. Dct. hord. c. sacch. p. potu. Catapl. emoll. Post V. S. quaedam doloris pungentis in regione hypochondriaca dextra remissio. Sanguis e vena elicitus, coagulo dives, levem ostendebat crustam inflammatoriam. De nocte exsomni, calor ardens et cephalea vehemens. — D. 21. Jan. inflammationis idem ac heri gradus, febris augmentum; insuper caput temulentum, sub erectione vertiginosum, dysphoria, et delassatio major, physiognomia alienata, atque sitis defectus sub sensu siccitatis linguae saepius intrante. Praeter mixturam ordinatur enema purgans. Perdurant haec usque ad 3. horam pomeridianam tum modicus intrat sudor in noctem protensus cum levamine omnium morbosorum. De nocte somnus reficiens. — D. 22. Jan. delassatio, dysphoria, dedolatio artuum evanidae; caput ex integro liberum, physiognomia hilaris, appetitus et sitis normales, sapor naturalis: spirandi difficultas minor, inspirium profundum conceditur, movet tamen nisum in tussim et

inamoenam ab aegro non clare describendam sensationem in regione ultimarum costarum, tussis rara; sputa non nimis larga, cocta cum crudis remixta; situs in quovis latere concessus, abdomen molle, collapsum in hypochondrio dextro sub pressione rudiori quidquam dolorificum; alvus larga, urina aeque larga cum copia sedimenti mobilis, cutis mollis, humida, pulsus aequalis, frequentior normali magnus, plenus. Continuatur tractamen. D. 23. — 24. Jan.; morbus decrescit, augetur tamen paulatim respirationis difficultas, tussis frequentia; urinae amplius non visuntur sedimentosae; secretio muci tardior est; cutis perexigue transpirat. — Therapia eadem. — D. 25. — 26. — 27. Jan. Increscit spirandi difficultas, sputa aegerrime ejiciuntur, tussis sicca. Dct. r. alth. unc. sex, mann. unc. semis, sal. ammon. gr. quindecim. Catapl. et potus continuantur. — D. 28. — 29. Jan. Reviviscit febris inflammatoria ex integro fere soluta, evigilat, quod sopitum fere erat organorum pectoris et abdominis incendium, nec non catarrhus pulmonum majora iterum capit incrementa. Dct. r. alth. unc. sex; mann. unc. semis; nitr. dr. semis; sal. amar. dr. tres; syr. simpl. unc. semis. — Dct. alth. c. sacch. p. potu. Enema purgans. Catapl. emoll. Insuper d. 29. Jan. hirud. medic. duodecim ad partes dolentes. D. 30. Jan. Post hirud. applicatas levamen; vesperi exasperatio febris; remittit haec tempore matutino, reliquus idem ac heri status. — D. 31. Jan. De nocte somnus, modicus sudor et una alvi depositio. Mane praeter pulsuum majorem frequentiam nullum essentiale febris symptoma, nec pleuritidis amplius et peritonitidis cardinalia animadvertuntur indicia; attamen respiratio frequentior, sublimis, quidquam dyspnoica, inspirium profundum absque dolore in pectore tentandum, ast vero non ex integro ob impedimentum in inferiori parte cavi thoracis dextri sedens absolvendum, inamoena plenitudo et tensio indolorifica in parte praescripta, situs solum in dextrum latus inclinans concessus, superficies externa in regione ultimarum quatuor costarum media tumorem offert excolorem, ferme obovatum, ad margines diffluentem, indolorificum, quidquam durum, digiti pres-

sionem non retinentem et temperaturae normalis, percussio thoracis in hacce parte non resonans, in toto thoracis reliquo ambitu clare resonans, musculi recti abdominis tensi; hepar absque dolore obtuse lancinante non deprimendum, sub pressione cum digitis intra superficiem hepatis convexam et diaphragma eundem dolorem exserens, et quidem in regione, quae incidit intra decimam et undecimam costam. Criticae eliminationes insufficientes, catarrhus pulmonum modicus perstat. — Ordinantur: Dct. r. gram. unc. sex, tart. emet. gr., inf. senn. c. mann. syr. simpl. aa unc. Dct. alth. c. sacch. p. potu. Catapl. emoll. His adduntur d. 18. Febr. Calomel. gr. duo c. sacch. in part. quatuor, bis de die pulv. sumendus et unguent. merc. ciner. dr. tres, ungt. digit. pp. dr. mane et vesperi portio nucis avellanae magnitudinem adaequans illinienda. Disparent sub hoc tractamine pleraque morbosa, ut die 28. Febr. superstitia essent nonnisi: delassatio modica, respiratio frequentior, dolor exiguus pungens et tendens in regione hypochondriaca dextra saepius jam indicata, qui inspirio profundo et pressione hepatis rudiore quidquam augetur; tussis rara cum sputis mucosis parcis; alvus segnis; pulsus frequentior; urina fusco-flavescens turbida; notabilis emaciatio corporis. — Adhibentur ultro usque ad 10. Martii praescripta; aeger quotidie fere per aliquot horas extra lectum versatur. Adparent prodromi ptyalismi, appetitus imminuitur, spirandi difficultates atque dolor in regione hypochondriaca dextra de die in diem quidquam increscunt, atque ultimis tribus diebus leves horripilationes per diem saepius intrant et sudores moderati nocturni praecipue caput occupantes. Dum temperatura cutis normalem transcendit, extremitates semper fere frigent. Pulsus frequentior normali et quidquam tensus observatur. Dct. r. gram. unc. sex, nitri dr., inf. senn. c. mann. syr. simpl. aa. unc. Pot. et catapl. dein hirud. sex ad plagam dolore tentatam. — D. 11. Mart. ad vesperas sat valida patefit febris inflammatoria unacum symptomatibus pleuritidem et peritonitidem et affectionem organorum proxime adjacentium denotantibus. Resumitur calomel. ad gr.

octo in part. quatuor omni bihorio pulv. sumendus. Adplicantur hirud. decem plagae dolenti. Illinitur ungt. ex ungt. hydrarg. et alth. anaticis partibus. Brachio dextro superimponitur empl. canth. ad formandum fonticulum postmodum ungt. mezerei deligandum. — D. 12. — 26. Mart. febris character inflammatorius valde mitigatur, exacerbationes tamen vespertinas sat vehementes celebrat horripilationibus stipatas atque per totam fere noctem durantes. Symptomata pectoralia praecipue dolores in regione designata pertinaciter perstant. Tractamen idem. — D. 27.— 31. Mart. Delassatio magna, somnus brevis, tussis frequens de nocte cum sputis crudis; sudores nocturni et antelucani, facies pallens, collapsa, tristis, quidquam lurida; sitis magna, spirandi difficultates admodum auctae, situs solum dorsalis inclinato versus latus dextrum thorace concessus, quilibet alius orthopnoeam et anxietatem inducens; dolores in parte saepius recensita; urina larga, fusca cum sedimento flocco[s]o; corporis emaciatio insignis, cutis flaccida, coreacea, flavescens, lurida, ante diluculum valde sudans; pulsus parvi, frequentes perquam mobiles, molles; manus pedesque frigentes et saepius praesertim a meridie horripilationes. Dct. r. tarax. c. sal. ammon. gr. octo. inf. senn. c. mann. et syr. simpl. aa unc. Omittuntur reliqua praeter potum et catapl. fonticulus cicatrisationi transmittitur. Propinantur carnes vitulinae. — D. 1. — 2. Apr. Augentur morbosa, accedit erysipelas in anteriore thoracis plaga. Hirud. medicin. octo. — D. 3. —7. Apr. sub dolorum notabili augmento, sudoribus profusis, et larga sputorum purulentorum difficili ejectione labuntur vires. Pro potu ordinatur Aq. ceras. nigr. unc. quat. Aq. com. libr. syr. rub. idaei unc. Alvi segnitiei succurritur electuario lenitivo. Cataplasm. additur herb. hyosc.— D. 8. — 14. Apr. Saevit morbus in perniciem aegri. Erysipelas deorsum ad abdomen extenditur, accedit diarrhoea febrisque depascentis perficit imaginem; spirandi summa difficultas, et creberrima excedentem sputorum copiam per tussim ejiciendi conamina miserum diu noctuque excruciant. Lich. island. dr. duas inf. c. aq. f. abject. inf. f.

dect. c. reman. ad unc. sex adde sal. ammon. gr. octo, syrup. diac. unc. Dct. salep. c. syr. rub. idaei p. potu. catapl. — D. 15. — 19. Apr. Rapide vires consumuntur, orthopnoea interdum apnoea nonnisi situm antrorsum curvato thorace concedit, omnemque denegat somnum, qui frustra acetate morphii invitatur, nec tinct. opii in mixtura et in enemat. amylaceis solutam sistere valet alvum. — D. 20. — 24. Disparet de repente omnis dolor in regione hypochondriaca dextra, conceditur magis inspirium profundum situsque omnilateralis praediligitur tamen erectus ob suffocationis metum. Comparent in superficie corporis, praesertim in collo et pectore milliaria crystallina tandem die 24. Apr. exoptata mors luctuosam claudit scenam. —

Sectio cadaveris.

Intra velamenta cerebri larga quantitas seri limpidi; vasa piae matris venosa extensa; substantia cerebri normalis; venae plexus choroidei dextrae varicosae; pulmo dexter antrorsum pressus, pseudomembranis tum mollibus, quum tenacioribus in toto ambitu cum pleura costali concretus; hae pseudomembranae cellulas formant magnitudine nucis avellanae et circiter in medio sacci pleurae impleti cavum circa quatuor libras fluidi serosopuriformis luridoflavicantis continens. Ab externa facie pulmonis pseudomembranae digitis sine laesione pleurae pulmonalis detrahi possunt; splendor tamen et planities pleurae desiderantur. Textura pulmonum praecipue dextri laxa, substantia pallidior, ceterum normalis; discissa superficiem offert multis punctis mucosopuriformibus conspersam; tota trachea usque ad tenuissimas syringes visibiles, fluido mucosopuriformi tenaci obruta; membrana ejus mucosa laxa, glandulae muciparae copiosissimae et distincte visibiles, superficies praecipue posterior paulisper rubens; cor flaccidum, normalis magnitudinis et structurae, excepto septo atriorum, quod foramine magnitudinis calami scriptorii perfossum est; pars dextra muscularis diaphragmatis in stratum fibroso-tendinosum conversa, et cum maxima parte superficiei convexae hepatis concreta; in medio hujus strati foramen detegitur magnitudine digiti auricularis, margine tenuissimo cinctum; hoc in cavum ducit magnitudinis ovi anatum, in substantia hepatis sedens, duris parietibus circumdatum, quidquam puris continens, atque per foramen in diaphragmate cum cavo praeternaturali thoracis communicationem sustinens. Reliqua hepatis substantia quemadmodum reliqua abdominis et pelveos organa sana.

Peripneumonia biliosa cum diarrhoea symptomatica.

J. D. 27 annorum, miles gregarius sat fortis; ab anno aetatis 24. omni fere autumno plectebatur febre intermittente quartana. Die 26. Jan. excubias agens invaditur febre cum cephalea frontali dira, et pungente dextri thoracis dolore; post noctem inquietam die 27. mane delassatio atque exaestuatio corporis minor, perstante capitis et pectoris dolore ejusdem tenoris, cui accedit per diem tussis sicca; ad vesperas morbi intensitas major; nocte superveniunt horrores, aestus intensus, sitis clamosa, nausea continua, vomitus fluidi amari viridis. Die 28. Jan. (3. m.) in nosocomium missus atque in clinicum susceptus: insignis delassatio, animi dejectio, inquietudo; calor per superficiem aequabiliter distributus, auctus; vultus doloris et anxietatis effigies; facies turgida ex flavo profunde rubet; oculi fulgent; lingua subsicca, muco albicante tecta; sitis insatiabilis cum desiderio potus frigidi aciduli; sapor amarus, ciborum aversatio, nausea et vomituritiones molestissimae; vox ardua; respiratio citata, brevis anxia, inaequalis, juncta cum dolore ad costas dextras pungente, quem motus trunci, inspiratio etc. multum exasperant; situs laevus plane denegatus, supinus praedilectus; tussis sat frequens cum sputis parcis aquoso-mucosis, flavicantibus; in hypochondrio dextro oppressio, reliquum abdomen liberum; urinae turbidae, flavo-fuscae; alvus flava, aquosa, frequens; pulsus molles, frequentiores. — V. S. ad uncias octo, et ad alvum excedentem componendam: Dtum. r. salep. D. 29. Jan. (4. m.) Post missionem sanguinis, qui crustam offerebat lardaceam, placentamque magnam et ponderosam, aliquod in respirationis opere lenimen. Nocte magna inquietudo, multa sitis, intensus calor, creber alvi fluxus; mane febris haud mitior, dolorum capitis remissio; facies minus turgens, respiratio magis laboriosa, tussis frequentior; dolores pungentes dextrum jam quoque thoracem vellicant, sputa uti heri; hepar acutius dolet; pulsus quidpiam suppressus, secus ut heri. V. S. ad uncias octo; sanguis

secedit in placentam firmam, crustaque inflammatoria bilineari coronatam et multo sero innatantem. Vesperi phlebotomen levamen haud exiguum insequebatur, respiratione liberiori reddita, doloribusque mitigatis; motus febriles mitiorem ac heri exacerbationem celebrant; Diarrhoea effrenata excurrit. — D. 30. Jan. (5. m.) Per noctem pavores, tussis frequens, anacatarrhosis difficilis, innumerae alviductiones; mane caput sine dolore vertiginosum; faciei turgor imminutus, respirii opus liberius; tussis rarior; dolor pleuriticus pacatus; sitis tamen insatiabilis; delassatio longe major; cutis sicca, abdomen expansum resonans, lotium largum flavo-fuscum, pellucidum; pulsus multo frequentiores facile comprimendi. — Inf. ipecac. ex gr. quindecim parat. unc. sex, mucilag. gg. arab., syrup. diacod. aa unciam; dt. salep. pro potu, et enemata quatuor ex amyli unc. dimidia, vitel. ovor. duor. in aquae fervidae libra una soluto. — D. 31. Jan. ad 1. Feb. (6. ad 8. m.) Diarrhoea perstat minus tamen effrena; cutis minus calens modice transpirat; urinae ejusdem ac pridie coloris, sed turbidae cum sedimento furfuraceo; caput liberius; obtutus laetior; abdomen minus expansum, minus resonans, ceterum circa pectus et vires — excepto pulsu magis elevato et minus frequente — status idem. Inf. ipecac. et enemata continuantur; pro potu aqua c. acido tartr. gr. 15 et cum syrup. rub. idaei uncia ordinatur, pectori empl. vesicans imponitur. — D. 2. Febr. (9. m.) Nox inquieta, somniis plena; mane caput iterum vertiginosum; facies tristis; lingua siccescens; sitis intensior; respiratio citatior cum minori tamen labore peragenda; tussis cum sputis largis, croceis; abdomen grandius sonans, nullibi dolens; cutis sicca; urinae parcae cum hypostasi mucosa; alvus crebrior aquosa, flavescens; pulsus frequentior et debilior. — Inf. ex r. arnicae dr. una. r. ipecac. dr. dimidia par. unc. sex c. mucilag. gg. arab. et syr. diacod. aa uncia. Dt. r. salep. p. potu; enemata continuantur, et pectori empl. vesicator. de novo imponitur. — D. 3. Febr. (10. m.) facies magis collapsa, meteorismus major; urinae sine sedimento pellucido, secus morbi imago hesterna. Augetur dosis r.

arnicae ad dr. unam et dimidiam et sinapismi cruribus adaptantur. — D. 4. — 5. Febr. (11. — 12. m.) Nocte febris exacerbatio insignis et dolor ad utramque auriculam tensivus, vehemens; alvus quater mota. — Mane animadvertitur parotis utraque elevata in tumorem pugnum virilem magnitudine aequantem, durum, dolorificum, in medio rubrum secus reliquae cuti concolorem, maxillam inferiorem a superiori diducere inhibentem; praeterea caput grave, aurium susurrus; facies minus collapsa, quidpiam rubens; respiratio minus laboriosa, anacatarrhosis levior; meteorismus minor; urinae largae flammeae; pulsus elevati, fortiores. — Dti. r. gram. unc. sex, nitri dr. semis, syr. simpl. unc. semis; tumores foventur catapl. emollientibus. — D. 6. Febr. (13. m.) Tumores parotidum majores, adhuc duri, plus dolentes in medio circumscripte rubri; facies laetior; sitis minor; respiratio liberior; nullus meteorismus; abdomen molle; alvus semel mota; urinae aurantiacae; pulsus minus frequentes sat fortes. Therapia hesterna. — D. 7. (Febr. (14. m.) Nocte multum somniavit, crebre sine sputis tussivit, largiter sudavit, alvum bis deposuit; mane caput grave, auditus difficilis; parotides majus volumen adeptae in medio mollescunt et pulsante insigniuntur dolore; sitis iterum major; respiratio citatior et difficilior; abdomen inflatum, tensum; cutis temperatura fere normalis; pulsus frequens et fortis; praeterea in regione claviculari et sternali vesiculae innumerae diaphanae, milii formam et magnitudinem aequantes sub levi sensu pruritus exortae. Syrupo simpl. substituitur syr. samb. — D. 8. Feb. (15. m.) Nocte tussis frequens cum sputis parcis, mucosis, difficile excernendis, et alvus ter mota fluida; nunc sitis minus urget, adpetentia ciborum evigilat; abdomen mollius tangitur; pulsus minus fortis; parotidum tumor ex heri non increvit, in medio tamen plus, plusque mollescit et minus dolet; milliaria jam internam quoque brachiorum faciem occupatam tenent. Nitrum omittitur. — D. 9. Febr. (16. m.) Saeviebat per noctem parotidum dolor pulsans, nunc abscessus sinister aperte fluctuat, minus dexter; milliaria jam ad antibrachia extensa florent; febris perstat ea-

dem, characteris activi; respiratio liberior, tussis minus crebra, sputa parca, mucosa; alvus fluxa; abscessus sinister cultro aperitur; dextri vero maturatio catapl. emolliente ultro promovetur. — Die 10. Febr. (17. m.) abscessus dexter sponte ruptus nocte eliminavit exiguam puris viscidi quantitatem; — mane arteriarum pulsus frequentes, exiles; temulentum caput, reminiscentia segnis, indifferens animus, aurium susurrus, obtutus languidus; facies collapsa, lingua siccescens, intensa sitis, omnis motus debilis, alvus soluta; pus parotidum in ichorem viridescentis coloris tenuem foetentem transmutatur, oedema in sinistro pede evolutum, haec nunc cum milliaribus sese ulterius et jam ad femora extendentibus die hac indice repente oborta fatalem divinant morbi exitum, artemque ad arma contra vires labentes vocant. — Ordinatur: Inf. r. acori ex dr. duab. p. unc. sex. extract. cort. peruv. scrup. Elaeosacch. junip. dr. duae; juscula vinosa pro victu et vinum rubrum p. potu; catapl. emoll. commutant. c. foment. aromaticis. — D. 11. Febr. (18. m.) Arteriae frequentius et debilius hodie micant; milliaria abdomen quoque occupant; ceterus status hesterno simillimus; — adduntur médicamini gr. tria camphorae mucilag. subactae. — D. 12. Febr. (19. m.) Tussis crebrior, tumores parotidum collabuntur, ichoremque fundere pergunt, milliaria florent novaque propullulant; oedema pedum decrescit; febris cum viribus debilibus perstat, ferme eadem. Ad vesperas exacerbatio febris transitoria, cutis siccissima; — augetur camphorae dosis ad grana quinque, penes vinum pro potu inf. florum tiliae cum saccharo exhibetur; sinapismus intra scapulas. — D. 13. Febr. (20. m.) Per noctem crebra tussis difficilis cum parcis sputis mucosis, sudor modicus, alvus semel deposita; mane status quoad vires et febrim idem ac pridie; respiratio multo frequentior et obliqua; abdomen inflatum tensum; cutis amoene calida modice transpirans; urinae largae profunde flavae, nubeculosae; in pectore desquamationis vestigia; oedema pedum ex heri decrevit; parotis utraque excernit pus melióris notae flavescens. — Augetur camphorae dosis ad grana sex, illa extr. peruviani ad

scrup. duos; pectori adaptatur empl. canth. — D. 14. Febr. (21. m.) Respiratio hodie invenitur plus citata laboriosa et stertorosa, mucus in trachea coacervatus difficillime excernitur; abdomen grandius clarius resonat; cutis siccescit; urinae iterum minguntur parcae et limpidae; alvus fluit aquosa; vires magis labuntur. — Inf. polyg. seneg. ex unc. dimd. parat. unc. sex, elaeosacch. junip. dr. duas — camph. gr. sex, kermet. min. gr. tria, pulv. gummos. dr. fiat inde pulv. sex, omni altera hora alternatim cum priori medicina sumendi. — D. 15. Febr. (22. m.) Tussis cum maximis respirii difficultatibus per noctem saeviens versus mane componebatur; nunc tristissimam spectamus morbi effigiem: debilitatem corporis summam; faciem hippocraticam, respirationem summopere difficilem; abdomen meteoristicum; extrema frigentia. Empl. canth. thoraci adplicari jubetur; ast mox sibi conscius, placidam oppetit mortem.

Necrotomia.

In sinubus cerebri parum sanguinis atri, intra gyros aliquid seri grisei; in ventriculorum lateralium singulo circiter drachma et in fundo cranii, uncia seri sanguinolenti stagnans. Cavum thoracis dextrum replent librae circiter quinque ichoris tenuis luridi summe foetentis; in sacco proprio pleurae ubique adhaerente contenti; pulmo citerior sursum et introrsum pressus et adeo conspissatus, ut vix quintam partem consueti voluminis offerat; ejus substantia, excepta apice, in massam tenacem coriaceam ponderosamque transmutata; pulmo sinister omni intuitu sanus; in pericardio duae unciae seri flavidi; cor pingue parvum. Jecoris grandioris superficies convexa, atro-coerulei coloris, ad substantiam justo tenaciorem parum penetrantis; lien debiti voluminis et normalis structurae, laetius coloratus; ventriculus, maxima jejuni pars aëre expansa; reliquus canalis cibarius, pancreas, renes et vesica vix a norma abludentia reperta.

Februarius.

Qui maxime udus, pluviis nivibusque fertilis esse solet Februarius, hoc anno generatim siccus. Ineunte mense nebulae leves, per vices pluviae haud perstantes, nives celerrime defluentes; mercurius in barometro ab

insolita altitudine (28″ 10‴ 8⁗) gradatim descendit ad 28″, 0, 0 usque. Caurus ad finem mensis praegressi jam dominans et hoc tempore valide commovit aërem.

Medius Barometri status fuit:			. . . .		28″	3‴	6⁗
Maximus	„	„	„ die	1. mensis		28	10	9
Minimus	„	„	„ —	21.	—	27	10	1

Medius Thermometri status fuit:			. . . . .			+	2,09° R.
Maximus	„	„	„ die	26. mensis		+	9,5
Minimus	„	„	„ —	16.	—	—	5,0

Genius stationarius gastrico-adynamicus etiam hoc mense imperium undique exercuit temperatus tamen per intercurrentem characterem catarrhosum, inflammatorium molientem. Morborum ratio decurrendi generatim eadem fere ac mense praegresso segnis; decisio eorum per crises solennes rara ut plurimum per imperfectas, metastaticas; continuus in exsudationes serosas et metamorphoses organicas nisus; symphoreses caput et pectoris organa versus directae, perniciosae plurimorum morborum febrilium sociae frequentius in conspectum venerunt. Lustrando formas morborum singulas e febrium classe catarrhosae numero praevalebant, his proxime nervosae accedebant, sequebantur gastricae et tandem rheumaticae. Febres puerperales sub forma partim metroperitonitidis partim phlebitidis uterinae rapide decurrebant summe proclives ad metastases internas et suppurationem organorum cranii pectoris et abdominis, nec non ad destructionem et gangraenam genitalium externorum. Inflammationes crebrius hoc mense occurrebant; harum potiorem numerum pneumoniae explebant pronae ad infiltrationes parenchymatis seroso-albuminosas. Pleuritides plures, ad finem mensis hepatitides aliquot cum ictero symptomatico observatae. Variolarum numerus et intensitas, relate ad priorem mensem, minor, unde epidemiae hujus, quae mense Decembri culmen attigerat decrementum innotescit. Erysipelatis rarior adparitio. Cachexiarum, ec-

crisium et nevrosium vix non eadem ac mense praegresso ſorma, indoles et numerus.

Oophoritis chronica.

A. K. 34 annorum, tenera sartoris conjux, semper regulariter menstruata, anno praegresso ulceribus ad genitalia laboravit. Ante bimestre noctu indusio tantum vestita pedibusque nuda derelicto, thoro foras exivit, et altera jam die dolorem sentivit pungentem in regione inguinali sinistra motu augendum, nec non ardorem sub mictu et urinas guttatim profluere observavit. — Per hirud., catapl. emoll., mixturam albam et strenuam quietem refert se ab his molestiis liberatam fuisse, et elapsis duabus septimanis res domesticas curare coepisse; ast mox iterum pondus supra pubem molestum, femorum stupor, mictusque difficilis et dolorificus aegram premebant, eamque, quum per temporis tractum ingravescerent et dein nec quieti, nec prolixo usui dct. baccar. juniperi cederent, eo adigebant, ut opem nostri instituti quaereret. Die 5. Febr. a. c. suscepta offert sequentia morbosa: vultum tristem, anorexiam cum lingua mucosa, sapore fatuo; sitim; in hypogastrio prominet tumor, ultra pugnum virilem magnus, circumscriptus, mobilis, ovatus, apice supra juncturam ossium pubis, basi supra inguem sinistrum collocatus, reliquae cuti concolor, calidior, subdurus, dolens, sub eo sensus caloris interni ponderisque; in reliquo hypogastrio dolores lacerantes, motu et leviori pressione multum exacerbandi accusantur; stupor pedis sinistri; alvus adstricta; urinae parcae, rubrae guttatim dolorose minguntur; calor cutis parum auctus, febris exigua. Interne tangitur vagina calidior; uterus retropressus, contractus, ejus orificium solidum planumque sinistram versus directum; urocystis collapsa; tumoris descripti vero pars tenuior, vesicam inter et uterum reperitur. — Emuls. oleos. unc. sex, inf. senn. c. mann. unc. duas; dtum. spec. alth. p. potu; enem. emoll.; quies severa. — Die 6. Febr. ructus aquosi, doloris, febrisque vis aucta; hirudin. octo

ad tumoris ambitum, cetera continuantur. —D. 7. Febr. Alvus quinquies mota; febris et dolorum notabilis remissio; vultus hilarior; reviviscens adpetentia ciborum; mictus facilis; tumor quoad volumen et resistentiam idem; dolor trahens sacralis major; stupor femoris frequentior. Therapia exceptis hirudinibus manet. Vespere tormina in ventre et plenitudinis sensus, genitalium ardor, et dolorum exacerbatio. — Enema emoll. — D. 8. Feb. Noctu sanguis menstruus prorumpebat et nunc copiose fluit molestiis heri vespere exortis stipatus. — Omittitur inf. senn. c. manna. — D. 11. Feb. Fluxus menstruus curriculum triduanum heri vespere absolvit, quo ad finem vergente molestiae eum comitatae quoque recesserunt, tumorque ipse ovarii quidpiam minor et mollior evasit; nunc vero iterum durescit et acutius dolet, simulque dolores mictionis comites exasperantur. Hirud. N. 8 circa tumorem adplicantur. — D. 12. Febr. Dolores parum mitigati, tumor mollescit. — Calomel. gr. duo, sacch. scrup. duos. m. d. in 4part. man. et vesp. unus pulv. sumendus; emuls. oleosa continuanda; dct. hord. c. oxym. simpl. p. potu; catapl. emoll. ad tumorem. Die subsequa novum febris, tumoris et doloris augmentum, mox sanguinis topicae detractioni cedens. — D. 20. Febr. De die in diem continuato pulverum, potus, cataplasm. nec non, pro re nata, enemat. emoll. usu, evanuere, sub facili et largiore urinarum excretione, symptomata morbosa, tumore ovarii demto, qui aegrae, excepto femoris sinistri periodico stupore, vix ullas pariens molestias, solumque sub rudi tractatione dolens, solvi cunctabatur. Continuatis hinc omnibus internis et externis, balneorum tepidorum usus consultus videbatur, simulque jussum fuit, ut pars tumens mixto ex unguenti hydrargyri comp. et ung. althaeae aa dr. una ad nucis avellanae magnitudinem inungatur. — D. 22. Feb. Tumor ovarii mollior, non tamen volumine minor evasit. Pulveribus calomelanos adduntur pulver. fol. digit. purp. gr. duo. — D. 25. Febr. Sub largiore urinarum excretione decrevit aperte ovarii tumor; sed ptyalismus intravit sat molestus. Missis calomele et emulsione oleos. ordinatur: dto - inf. ex r.

alth. dr. duabus et pulv. hbae. digit. purp. gr. decem, unc. sex, tart. tartaris. dr. tres, syr. mann. unc. — D. 28. Febr. Urinae straminei coloris, limpidae, largissimae (ad libras decem intra nychthemerum) excernuntur; detumescit ovarium; perstat, imo increvit salivatio; ceterae functiones rite procedunt; omittitur tartar. tartaris.; aq. tepida pro colutorio. — D. 6. Martii. Sub frequenti et largissima lotii excretione detumuit rapide ovarium, ejusque sensilitas pro maxima parte evanuit; perstat adhuc uberior salivae fluxus, sed jam consuetarum ptyalismi molestiarum expers. — D. 7. Mart. Justo tempore et consuetis stipatus phaenomenis intrat fluxus catamenialis; continuat lotii larga excretio; in morbo nulla mutatio. Manentibus ceteris, cataplasmata commutantur cum linteis calefactis. — D. 11. Mart. catamenia regularem omni respectu cursum finierunt; evanuit quoque salivatio; in abdomine, speciatim in ovario, nec quoad volumen, nec quoad sensilitatem aliquid morbosi comprehenditur; functiones cunctae rite procedunt. Restat, ut labefactatae vires et amissa per morbum materies organica resarciantur. Missis medicaminibus, ordinatur diaeta eupepta, nutriens, una cum reliquo regimine adaequato. D. 20. Mart. pristina sanitate donata ad lares suos rediit.

Febris catarrhoso-gastrica.

S. B. miles gregarius 24 annorum, temperamenti irritabilis, robustus, fortis; puer duodennis febre intermittente tertiana per annum laboravit, serius saepe redeunte epistaxi molestabatur; secus, ut ajit, semper prospera gavisus valetudine. Causae morbificae ignarus die 6. Febr. a. c. corripitur frigore brevi, insequente aestu longo, cephalea, anorexia, delassatione eximia, siti valida, haurit lac, vinum, aquam, cerevisiam; morbus crescit; consultus medicus propinat pulveres albidos, brevi vomitum difficilem fluidi aciduli efficientes; aegritudine haud infracta sumit altera die eosdem pulveres et sequuntur vomiturationes crebrae inanes; noctu anxia inquietudo et notabile

caloris augmentum; ingurgitat primo mane cerevisiae libras duas, sequuntur ventris dolores, cephalea et dedolationis sensus augentur; mittitur a meridie die 8. Februarii (3. m.) in nosocomium atque in clinicum suscipitur, dysphoria et magna delassatio; caput grave, vertiginosum: pressivis occupatum doloribus; rubet et turget facies; lacrymant oculi; nares et os siccescunt; lingua muco albo tecta et paposo instructa sapore humescit; cibi fastidiuntur; potulenta efflagitantur larga, dulcia; respiratio citata raro tussi intercipitur humida; epigastrium tumet et obtuse dolet, reliquum abdomen voluminis normalis ubique erga pressionem sensile; alvus haeret; cutis grate calens, modice transpirat; pulsus frequentes, parvi, contracti. — Dti. gramin. unc. sex, salis amar. semiunc., syrup. sambuc. unc.; — Dt. hordei c. oxymel. simpl. p. potu. — D. 9. Febr. (4. m.) alvus quater deposita fluida; in morbo vix ulla mutatio. — Sal amarus restringitur ad dr. duas. — D. 10. Febr. (5. m.) alvus bis mota pultacea, pulsuum frequentia major, extremitatum inferiorum stupor, secus morbi scena eadem ac pridie; in therapia nihil mutatur. — D. 11. Febr. (6. m.) noctu magna exaestuatio, notabilis inquietudo et tres alviductiones pultaceae; mane caput liberum; tussis rarissima; gastricismus minor; pulsus autem perquam frequentes, contracti, duriusculi; cutis calor fere mordax; abdomen expansum, in regione iliaca utraque sub pressione dolorificum; urinae aurantiacae. — V. S. ad unc. quinque; singula regio iliaca cucurbitis cruentis tribus vulnerari, vulnera ope unguenti stibiati et cataplasmatis emollientis in suppurationem converti jubetur, et interne Dt. r. althaeae c. syr. diacodii, atque dt. salep p. potu ordinatur. — D. 12. Febr. (7. m.) Per noctem aeger summe inquietus, parum dormiens et multum somnians, alvum ter deposuit fluidam et urinas misit limpidas, saturate rubras; mane in capite vix morbosi aliquid offenditur, lingua vero siccior ac heri; cutis arida, urens, calor crescit sub digito tangente; pulsus contracti, frequentissimi; respiratio frequens et cita; abdomen meteoristicum, contrectationis bene ubivis patiens; stupor extremitatum

inferiorum major; delassatio eminentior. Sanguis emissus ostendit crustam inflammatoriam, parum tamen cruoris. — Dti. infusi e spec. aeth. unc. dimidia et r. ipecac. gr. quindecim unc. sex, syr. diacod. unc. semis; potus hesternus; emplastrum cantharid. ad pectus. Vespere insignis debilitas muscularis, deliria fere continua, placida, facies collapsa livens, lingua tremula, sicca; sitis nulla, imo potulentorum omnium aversatio; meteorismus major; pulsus innumeri, debiles, miuri — sinapismi ad suras. Nec vesicans nec sinapismi suum exserunt effectum; pulsus pedetentim evanescit, prorumpit sudor profusus viscidus et hora decima noctis sub deliriis placida supervenit mors.

N e c r o s c o p i a.

Calvaria insolite crassa, vasa meningum sanguine turgentia, intra gyros serosa exsudatio; substantia cerebri mollis, sanguine dives, ventriculorum lateralium dexter drachmas duas, sinister drachmam unam seri rubelli continet; in fundo cranii circiter uncia similis seri stagnat; pulmo dexter in omni ambitu pleurae costali firmiter adnexus, ejus velamentum serosum incrassatum et lobus superior hepatisatus; lobus vero inferior sicut totus pulmo sinister, excepta sanguinis oppletione, sanus. In pericardio semiuncia seri; cor flaccidum solita coagula continens. Membranae internae aortae adscendentis, sicut initii arteriae pulmonalis quidpiam incrassatae et profunde rubrae. Hepar voluminis normalis, emollitum, exsangue, in ejus convexa superficie aliquot maculae flavescentes in substantiam intacta ejus textura usque penetrantes; cystis fellea bile turgida; lien triplex volumen aequans ceterum sanus; pancreas sanguine ditior. Ventriculus aëre expansus, aliquot exiguas maculas roseas offert. Jejunum sanum; in ileo, praeprimis in parte ejus inferiore, maculae numerosae, aliae profunde lividae, aliae atrae; membrana intima insularum adinstar veras prominentias offert, quae ex minimis granulis conflantur; intestina crassa ad normam; renes sanguine largius provisi; urocystis contracta.

Arthritis chronica ex herpete suppresso.

E. L. 30 annorum, coelebs, constitutionis fortis, pluribus morbis infantilibus tentata, a decimo aetatis anno ad vigesimum usque herpete laboravit phlyctenoide in brachio

sedem figente. Adhibentur varia sine fructu remedia, tandem ope linimenti in detrimentum aegrae fugatur intra nychthemerum; illico autem comparet antibrachii dextri utrarumque manuum ardua mobilitas et facillima defatigatio, nec non post dimidium anni fluor mucosus e verendis ab initio blandus, parcus, in posterum vero acrior et largior praecipue ante et post menstruorum fluxum. Hic puellam 15 annorum invadens nullas unquam praebuit anomalias. Annum agens 24. primum corripitur insultu vere arthritico erratica insigni indole, quum pedes et derelictis his pulmones prehenderet, unde per vesicantia et medicamina varia interna dispulsus iterum pedes petit, donec post 6 hebdomadarum spatium cyclum tandem absolvit, nil nisi oedema pedis sinistri et defatigationis sensum in hac extremitate relinquens. Ingrediente mense Aprili anni 1833, praeeuntibus per 2—3 septimanas peculiari animi morositate, dyspepsia, flatulentia et pluribus aliis labefactatae digestionis signis, post refrigerationem corporis sudore madidi adparet cephalalgia dira vomitu comitata, exoritur ophthalmia arthritica, vehementiori stipata febri. Propinantur eccoprotica et alterantia, invitantur his et adparent crises, queis, utpote per regimen haud aptum turbatis, morbus ossium petit juncturas, praesertim vero genu sinistri, quod tumore insignitur oedematoso. Adhibentur modo per decursum anni stipites dulcamarae, vinum antim. *Huxhami*, digitalis, scilla, eccoproticis intermixta. Mitigatur exinde morbus eum in gradum, ut quae antea impos esset lectum deserendi aegra deambulandi rursus acquisiverit facultatem; perstat tamen pertinaciter tumor genu, dolores hinc inde in articulationibus saepius reviviscunt. Mense Junio cessant catamenia, et usu potus theati invitati post tres menses nonnisi parcae, serosae cephalea comitatae ab hoc tempore adparent. — Die 17. Febr. in clinicum suscipitur. Caput quidquam dolorificum, lingua pura, subsicca, dentes erosi, respiratio sanorum, regio hypogastrica dextra tumens, ceterum uti et reliquum abdomen indolorifica; nonnunquam ructus; vagina mucum flavum, ardentem, copiosum plorat. Pulsus normalis, aeque ac

calor cutis semper sudantis; alvus antea constipa nunc quotidie movetur, urinae cum sedimento lateritio. In genu sinistro tumor oedematosus, elasticus, fluctuationem mentiens, de die parum de nocte magis dolens, dolent aeque juncturae digitorum manus dextrae. Incessus praesertim sub ascensione scalarum nonnisi cum dolore concessus. Dct. r. gramin. unc. sex, extr. tarax. liq. dr. duas, sacch. unc. semis. Aq. font. p. potu. Frictiones et involutiones cum panno. — D. 18. — 24. Febr. Mitigantur quidquam dolores, tumor perstat eodem gradu. — D. 25. — 26. Febr. Dolores in regione occipitis, abdominis et ossis sacri, articulationes digitorum manus tumescunt. Instant catamenia. — D. 27. — 28. Febr. Comparent catamenia parca, mitigantur dolores, perstat tumor digitorum. Omittitur mixtura. — D. 1. — 9. Mart. Cessant catamenia; accusatur dolor in regione hepatis sub pressione, augetur dolor in genu tumido, stupent extremitas inferior sinistra et antibrachium dextrum. Alvus per triduum silet. Invitatur haec ope sal. Seignetti in dct. gramin. c. extr. tarax. et enemat. emoll. Tandem arcan. duplic. sali Seignett. substitutum optatum producit effectum. Remittunt dolores hepatis et artuum. — D. 10. Mart. De nocte redit itidem dolor hepatis intumescentis. Ad vesperas adparent frigus, aestus, cephalea et sitis major, augeturque hepatis dolor. Omittitur tarax. ex mixtura, propinatur emul. com. c. sacch. p. potu. — D. 11. Mart. De nocte continuat aestus, tandem intrat sudor largus; mane remissio. — Usque ad 16. Mart. revertuntur quotidie febrilia haec insultus arthritici indicia, atque adeo manifestis intercalantur remissionibus, ut pro febris intermittentis paroxismis illa haberes. Accedit his quoque oculi sinistri conjunctivitis levioris gradus. Dolores tempore exacerbationum augentur. In therapia nil mutatur nonnisi 14. Mart. ob alvum frequentiorem omittitur arcan. dupl. — D. 17. Mart. Nullus insultus febrilis, conjunctivitis abolita, dolores multum mitigati. Dct. r. gram. unc. sex, sal. Glaub., syr. mann. unc. Potus omittitur. — D. 18. — 20. Mart. Dolores abstersi, perstat tumor hepatis et genu sinistri. Adhibetur modo tart. emet. granum postmodum gra-

num et semis in decocto tarax. c. syr. mannato, propinantur a 31. Mart. incipiendo balnea univers. tepida cum hepatis sulph. kalin. unc. semis serius cum uncia. Detumescunt paulatim primo hepar denique et genu, disparet fluor morbosus e verendis, catamenia regulariter intrant, verbo fugantur sensim sensimque quaeque aderant morbosa, ut aegra majori ac unquam gauderet euphoria. Praescribuntur d. 30. Apr. pilulae ex pulv. r. rhei unc. semis, tart. emet. gr. novem, extr. tarax. q. s. pro form. p. pond. gr. trium commendatur diaeta congrua, moderatus favente coelo motus, atque eodem die dimittitur.

M a r t i u s.

Cursu hujus mensis coelum, ut solet, ventosum erat, raro serenum insolite tamen sine nebula siccum; nives rarae facile contabescebant et pluviarum vestigia fortiori flamine facile exarescebant. Status barometri et thermometri parum fluctuavit; penultima vero mensis nocte, quum Caurum regnantem subito deflaret Africus, mercurius in thermoscopo insolite adscendit.

Medius Barometri status fuit:			. . . : . .	28''	3'''	3''''
Maximus	„	„	„	die 21. mensis .	28	7	7
Minimus	„	„	„	— 5. — .	27	10	1

Medius Thermometri status fuit:			. . . . .	+	4,21° R.
Maximus	„	„	„ die 31. mensis	+	12,5
Minimus	„	„	„ — 30. —	—	0,5

Amplior intercurrentis characteris catarrhoso-rheumatici extensio, decursus morborum quidpiam celerior, virium aliquantulum major reactio et ad finem crebra complicationis biliosae manifestatio constitutionem Martii ab illa Februarii distinguebant. Crises solennes adhuc desiderabantur; congestionum rarior adparitio et fere constans ad organa pectoris directio. Febrium maximam cohortem rheumaticae et catarrhosae constituebant; nervosae rarius priori mense adparebant, fere semper adfectione pectorali copulatae decurrebant; febres gastricae non frequentes

consuetim signis biliosis excellentes; intermittentium aliquot visae, typo tertiano vel quartano adstrictae; puerperalium forma, decursus et terminationes eaedem ac Februario. Crebriores ac mense priori phlegmatiae organa pectoris et inter haec substantiam pulmonum lubentissime invadebant; ipsae pneumoniae pluries cum hepatitide aut saltem cum signis biliosis copulatae, generatim benigne solvebantur. Variolosae epidemiae decrementum ultra progreditur, ast novum periculum minatur frequens connubium variolae cum charactere putrido. Scarlatinae adparitio frequentior. Phthisis pulmonalis tuberculosa cum comite haemoptysi et pedisequo hydrope creberrima. Scorbutus hinc inde adparens remediis antisepticis facile exstinguebatur.

Leucophlegmatia cum physconia hepatis et menostasia.

I. F. coqua 36. agens annum, tenera, sensibilis, aetatis anno nono tineam capitis, 27. pleuritidem et aliquoties anginam superavit. Mense Junio anni praecedentis ex itinere pedibus facto aestuans haurit aquam frigidam et adhibet pediluvium, catamenia plane tunc temporis fluentia derepente silent; intumescunt pedes ad malleolos usque, perstat hic tumor oedematosus ultra mensem, disparet tunc sensim; adparent modo dolores trahentes, lacerantes saepe recurrentes in pedibus et humeris, peculiaris artuum dedolatio nec non dyspnoea et cardiopalmus, quae omnia tempore catameniorum exasperantur et continuant quoque postquam catamenia elapsis quinque mensibus iterum comparent; haec ex eo tempore parca semper fluunt. Hyeme et vere status magis tolerabilis. Tempore aestivo anni 1834 omnia recensita symptomata de novo aegram molestant et in dies increscunt, praesertim dedolatio, dyspnoea, cardiopalmus sub scalarum adscensu; intumescunt mense Januario de novo pedes, accedunt initio quatuor febris intermittentis tertianae paroxismi, quos sulf. chin. fugat; molestatur nunc aegra agrypnia, frustraque opponitur acetas

morphii. — Die 9. Martii in clinicum suscipitur: Vultus tristis animi pathematum testis, facies pallida, flavicans, laxa, tumida, palpebrae luridae, oculi splendentes, lacrymantes, coloris ex albo coerulei, visus debilis, agrypnia, labia et lingua pallida, sapor genuinus, adpetitus variabilis, sitis morbose aucta in acidula directa, respiratio inaequalis, aliquid laboriosa, partes aliquae thoracis sub ea quasi undulantes, secus profunda et sub omni situ concessa, cordis palpitatio solum ab aegra percipienda, abdomen in regione hepatis tumidum, indolorificum, extremitates frigent, inferiores tument, digito pressae foveolam vix animadvertendam brevi retinent, ceterum non dolent, motum ferunt, cutis omnis flavicans, frigida, laxa, tumida, pulsus frequentiores, alvus ex biduo haeret, urinae parcae, menstrua a duabus septimanis praeter normam silent. Dct. r. tarax. unc. sex, sal ammon. gr. quindecim, tinct. rhei aq., oxym. scill. aa unc. Limon. p. potu. — D. 14. Mart. loco oxym. scillit. extract. scill. gr. tria. Libra semis vini austriaci. — D. 16. Mart. omnia leniora, respiratio fere libera, cordis palpitatio solum sub deambulatione, tumor in regione hepatis quoque imminutus, perstat agrypnia. Rad. Tarax. substituitur herba cent. minor. — D. 21. Mart. catamenia adhuc silent, cardiopalmus ex protracta die praecedente obambulatione validior, tumor hepatis ad minimum reductus, lotium uberius, alvus constipa, agrypnia pertinax. Extr. trif. fibr. scrup. extr. scill. gr. tria in aq. foenic. unc. quinque et inf. senn. c. manna unc. Acet. morphii ¼ gr. pars vesperi sumenda. — D. 27. Mart. lotium largius; per aliquot nonnisi horas somnus; dolores hinc inde rheumatici, reliqua eadem. Augetur morphii dosis ad gr. dimidium, extract. scillae ad gr. quatuor. — D. 1. Apr. loco trif. fibrini extr. quassiae gr. quindecim; omnia leniora. — D. 6. Apr. extract. quassiae gr. quindecim, scill. gr. quatuor, ferri malici gr. quinque in aq. foenic. unc. quinque et inf. senn. c. manna unc. Dyspnoea et cardiopalmus penitus evanuere, pedes, dum deambulat, solum ad vesperas tument, catamenia adhuc silent. — D. 11. Apr.; dolores rheumatici ad humerum sinistrum, magna dedolatio, dys-

pnoea, cardiopalmus, anorexia, alvus diarrhoica. Omittuntur inf. senn. c. manna et ferrum. — D. 13. Apr.; imminuuntur morbosa, alvus perstat diarrhoica. Omittitur aeque extract. scillae. — D. 14. — 20. Apr.; cessat diarrhoea, cardiopalmus et dyspnoea mitiores, nonnunquam saltem recurrunt. Adduntur mixturae iterum extr. scillae gr. tria. — D. 21. — 22. Apr.; de nocte somnus, refocillantur inde vires. Omittitur morphium, resumitur ferrum. D. 23. — 25. Apr.; continuat de nocte somnus, ferrum optime fertur. Augetur dosis ferri ad grana decem. — D. 25. Apr. — 5. Maji; vires continuo crescunt, pedes ad vesperas nonnisi leviter tument, et sub ascensione scalarum aliqua dyspnoea et cordis palpitatio; catamenia exspectata adhucdum non comparent. Invitantur haec balneo universali tepido, adparent die 6. Maji, quamquam parca quantitate; seponuntur medicamina; p. potu dct. alth. cum infus. liquirit. — D. 7. Maji; praeter exiguam dyspnoeam nil morbosi; facies hilarior turgorem et colorem sanum offerens, vires refocillatae. — D. 8. Maji; cessant catamenia, resurgunt morbosa, attamen leviori gradu. Recipiuntur extr. quassiae et ferrum malicum forma pilularum. Ad diem 12. Maji, iterum omnia disparent morbosa et die 18. Maji sana dimittitur.

Cephalalgia symphoretica, periodica.

N. K. 23 annorum, miles gregarius, constitutionis athleticae, temperamenti cholerici, bibax, praesertim vino indulgens cremato; puer doloribus rheumaticis saepius molestabatur. Juvenem 14 annorum efflorescentia aliqua cutanea caput integrum, reliqui corporis sinistrum solummodo latus occupans per trimestre continuo infestasse narratur. Brevi postea profluebat ex aure dextra materia flava, foetens, auriculam incrustans, profluvium hoc serius e sinistra quoque aure contingens durabat ad annum aetatis 22., ad breve tempus remediis ignotis saepe saepius suppressum. Interea, et quidem anno modo praeterito syphilidem etiam ope methodi Dzondianae superavit. Initio Fe-

bruarii doloribus affligitur e fronte ad tempora extensis, pungentibus, prementibus, saevis cum sensu caloris in capite, lacrymarum fluxu, oculorum scintillatione et photophobia, aurium susurru, siti morbose aucta, sumpto tertia die emetico profligantur nominati dolores. — Apparent de novo dolores die 3. Martii per emeticum iterum mitigati et post biduum disparentes, revertuntur vero jam die 9. Martii et pertinaciter saeviunt in quintum diem, qua die (14. Mart.) in clinicum susceptus: caput grande, collo brevi, crasso insidens recondit dolores e fronte ad tempora extensos, pungentes et prementes, facies turget, rubet, sudat, oculi vivaces, photophobi, sanguine turgidi, lacrymis innatant et scintillas evolvunt, susurrant aures baryecoiae, nares, labia sicca, lingua muco albido tecta, sitis valida in frigida directa, sapor amarus, fames, respiratio aliquid citata, libera. Abdomen et ductiones alvinae ad normam, lotium profundius tinctum, cutis temperatura in facie major, in extremitatibus inferioribus et trunco normalis, pulsus aequales, magni, tardi, tensi. — Dct. r. gramin. unc. sex, infus. senn. c. mann. unc., sal. m. Glaub., syr. simpl. aa unc. semis. Dct. gram. libr. duae, oxym. simpl. unc. p. potu. — Die 15. Mart.; sumpto medicamine ter alvus mota, somnus quietus, reficiens, mane caput calidum, lingua albida, sapor parum amarus, pulsus, tardi, quidquam suppressi, urinae aurantiacae, turbidae, reliqua morbosa evanita; continuatur tractamen. — D. 17., 19., 20., 22., 25. Mart.; invasere aegrum molestiae supra, die 14. Martii depictae gradus vero multo mitioris et durationis brevioris, reliquae dies ut 15. Mart. Augetur dosis inf. senn. c. mann. ad unc. duas. — D. 26. — 29. Mart.; cephalea continua mox mitior mox saevior. Ordinatur praeter mixturam pediluvium cum cineribus quavis die vesperi adhibendum. — D. 30. Martii; nocte cephalea dira, ructus, vomituritiones, mane vomitus heri ingestorum ciborum, nunc status ut 14. omnia tamen majoris intensitatis, praeterea adpetentia ciborum deleta et pulsus tardus, valde suppressus. Hirud. decem retro aures, medicamen idem, potus ex aq. libr. duab., acidi tartr. scrup.,

sacch. dr. trib. Post sanguinis depletionem remittunt capitis dolores eorumque comites, ad vesperas nullum eorum vestigium sic aeque die 31. Maji, 1. et 2. Apr. — D. 3. Ap.; iterum encephalosymphoreseos signa sed mitiora; iterum hirudines octo retro aures et pediluv. Luculenta remissio. — D. 4. Apr.; hora secunda antelucana novitus vomiturtiones, bis insequente vomitu, cephalea dira, inquietudo magna; 6. hora matutina evomit magnam quantitatem panis furtim heri comesti; mane cephalea frontalis dira cum encephalosymphoreseos comitibus die 14. Martii designatis, praeterea lassitudo et virium muscularium languor insignis, memoria et judicium hebes, anorexia, respiratio frequens, cita, pulsus magni, tardi, duri. Hora prima pomeridiana convulsiones per quinque minuta durantes, tunc trunci adinstar lignei immobilis decumbit, facies collapsa, pallida, oculi rigidi, pupilla oculi dextri ad minimum coarctata, illa sinistri ad maximum dilatata, totum corpus friget, articulationes omnes rigidae, conscientia penitus abolita, respiratio profunda, stertorosa, tarda, pulsus valdopere suppressi, parvi, duri. Sinapism. c. armoracea rasa ad suras; enema purgans; phlebotom. ad unc. quatuordecim. Brevi post sanguinis missionem pulsus magnus, fortis, durus, tardus, sextus quisque ictus dicrotus, synchronisticus cum pulsatione cordis admodum forti, facies turget, rubet, frigent tamen extremitates, pupilla oculi dextri sensim dilatatur, vasa conjunctivae sanguine scatent, respiratio laboriosa, profunda stertorosa, sinapismi et enema nullum effectum exserunt. Hora 3. pomeridiana denuo V. S. ad unc. quatuordecim et epithemata glacialia capiti abraso imponenda; enema purgans; sinapismi ad femora et brachia. Sanguis e vena aperta tarde solum stillat ater, sinapism. et enema sine effectu. Adaptantur hirud. naribus sine fructu, accenditur moxa ad scrobiculum cordis sine reactionis indicio, omnia tentamina frustra instituuntur usque dum aeger hora 11. nocturna sensim ex sopore in mortem transit.

Necrotomia.

Integumenta capitis crassa et sanguine scatentia; calvarium leve, tenue et diploë orbatum; superficies durae matris externe sanguine effuso atro copioso obtecta; dura mater tenax; vasa piae matris hinc inde dilatata et sanguine atro abundantiâ; ipsa meninx cum substantia cerebri intime cohaerens; substantia cerebri compacta, solida, punctis rubris sanguineis sat copiose notata; ventriculus lateralis admodum extensus et aquae limpidae unciis circiter tribus repletus; ventriculus sinister minus expansus, drachmas circiter duas ejusdem liquidi continet plexus choroidei flaccidi, pallidi, hinc inde hydatides minores offerunt. Cerebellum ad normam; in basi cerebri haemisphaerii sinistri et quidem in fossa Sylvii sinistro incumbens pedunculo parasita magnitudinis ovi gallinacei minoris, externe substantiam gelatinosam, coloris ex albo flavescentis, interne substantiam magis solidam, coloris plus minus rubentis vasisque sanguineis instructam offert. Parasita haec nullis vasis cum cerebro juncta, ipsumque cerebrum in hocce loco massa gelatinosa obtectum in ipsius substantia ne minime alienatum, cavitatem magnitudini parasitae correspondentem exhibet. Fundus cranii omnis, ex venis multo sanguine repletis caeruleus, et unciam circiter fluidi nominati continens. Pulmo uterque pleurae costali fortiter adhaerens, substantia ejus sanguine dives, marcida. Cor voluminosum, flaccidum, ventriculus et atria ejus inconsueta sanguinis copia referta; membrana interna arteriae aortae, carotidum nec non arteriae brachialis coloris purpurei. Hepar grande, flaccidum, pallidum; vesica fellea, ventriculus, intestina tenuia et crassa, renes, lien, vesica urinaria ad normam.

Gastritis et hepatitis rheumatica, recidiva lethalis.

G. P. 23 annorum, miles rei vehicularíae, constitutionis arteriosae, anno aetatis 15. febrim nervosam superavit. — Die 14. Martii officiis consuetis occupatus corripitur doloribus initio prementibus tandem magis lacerantibus in scrobiculo cordis versus hypochondria sese extendentibus et sensim magis exasperantibus, quibus ad vesperas sese associavit febris. Nox pro maxima parte insomnis. — Mane die 15. Martii sumit pulverem emeticum, quo emesis quater materiae viridis producitur cum exasperatione dolorum in scrobiculo cordis; increscunt dolores ad vesperas, febris validior comparet, quaecunque assumuntur illico, rejiciuntur. — Die 16. Martii quaedam remissio, ast ad vesperas morbus

adhuc majora capit incrementa. — Die 17. Martii in nosocomium mittitur et in clinicum susceptus: caput calidum, secus liberum, facies alienata in longum tracta, oculi splendentes, retracti, genae ex rubro flavae, os, siccum, lingua muco albicante tecta, sitis aucta, anorexia, sapor fatuus, acidula expetens, sumpta quaecumque statim vomitu rejiciuntur, respiratio citata, anxia, tussis rarissima, abdomen in epigastrio tensum, tumens, in scrobiculo cordis dolor versus hypochondria se extendens, fixus, jam premens, jam pungens, sub attactu, motu, tussi, inspirio, per assumpta exasperandus et tunc vehementissimus; tumor hic circumscriptus, anteriorem ventriculi aemulans faciem; sub levissimo attactu summopere dolorificus; sic neque tumet et dolet hypochondrium dextrum; cutis sicca, modice calens in extremitatibus fere frigens, pulsus frequens, aequalis, fortis, contractus, tensus, alvus ex heri silet, urinae nullae. — Mixtur. oleos. unc. sex. Dct. r. salep c. sacch. p. potu. V. s. ad unc. octo. Catapl. emoll. levia. Enema emoll. — Vesp. notabilis exacerbatio ad mesonyctium usque, tunc quies et somnus. — Die 18. Martii sanguis missus placentam magnam spissam cum crusta inflammatoria exhibet; urinae largae cum sedimento largo duplici, furfuraceo uno mobili magis et profundius tincto, altero crystallino, rosaceo, graviori; cutis amoene calens et transpirans, pulsus liberior, mollis, plenus, sat fortis, reliquorum symptomatum mitior facies; post juscula et medicamenta nullus vomitus, appetitus reviviscit. Excepta ven. section. reliqua continuantur. — Vesp. exaestuatio insequente de nocte sudore modico multum levante. — Die 19. Martii mane continuant crises benignae, ex morbo exstat solum ventriculi sensilitas aucta sub fortiori tactu. Seponuntur cataplasmata. — Die 20. — 21. Martii omissa mixt. oleos. sub regimine adaequato et sub usu simplicis decti graminis evanidis omnibus morbi symptomatibus adolescunt sensim vires. — Die 22. Martii tempore antelucano praeeunte delassatione corripitur frigore intenso per horam durante, quod excipit calor, auctus, siccus nunc quoque praesens; praeterea: facies pallida, alienata, oculi languidi, labia

caerulescentia, lingua muco flavicante tecta, sapor limosus, amarus, anorexia, sitis aucta, adpetentia acidulorum, abdomen tensum, inflatum, nullibi dolens, tormina cum flatibus foetentibus; cutis sicca, tensa, in extremitatibus inferioribus anserina, urinae fuscae, largae, turbidae, alvus ex heri silet, pulsus frequentior, suppressus, tensus. Clandestine sumpsit panem nigrum et crematum. Dct. gramin. c. sal. mir. Glaub. unc. semis et aq. laxat. Vienn. unc. Dct. r. gramin. libr. duas, acid. tartr. scrup. sacch. unc. semis p. potu. — Vesp. exacerbatio ad mesonyctium perdurans; nox phantasmatibus notata. — Die 23. Martii status hesternus, alvus bis deposita, larga, pultacea. — Die 24. Martii de nocte vomituritio et vomitus levans materiae biliosae, mane ructus adhuc frequentes et regio ventriculi tensa, tumida, dolorifica, fere uti sub initio morbi, ciborumque aversatio, caput quidquam vertiginosum, oculi retracti, adnata oculorum flavo notata colore, reliquus idem status, alvus semel deposita, dura. — Tart. emet. gr. duo in aq. dest. unc. tribus. — Insequens vomitus materiae tenacis, viridis, amarae, aegro notabile adduxit levamen. Ad vesperas accepit dect. gramin. unc. sex, tart. emet. gr., syr. simpl. unc. semis. — Die 25. Martii nocte phantasiae diversi lusus; mane facies lurida, collapsa, oculi retracti, lingua madida in medio muco albicante tecta, sapor limosus, sitis modica, caput liberum; respiratio normalis, abdomen in scrobiculo cordis tumidum, tensum, sub tactu dolorificum, sumptum potum et jusculum nullus insequitur vomitus, reliquum abdomen molle, indolorificum, cutis calida, sicca, alvus semel fluida, urinae turbidae, fuscae, parcae, pulsus frequens, sat fortis, quidquam tensus. Mixt. oleosae unc. sex. Dct. r. salep c. sacch. p. potu. Hirud. 10 ventriculo et cataplasm. ad epigast. Vesp. nullum ex tractamine levamen, vultus indifferens, lingua in marginibus rubescit, sitis major, omnia assumta vomitu rejiciuntur, sub quo et dolores ventris adaugentur, respiratio, brevis, sublimis, anxia cum trementibus musculis abdominalibus, hinc inde singultus; dolor ventris intensior, cutis sicca, calida, alvi et urinarum excretio inscio aegro con-

tingit, pulsus frequentior, tensus, subdurus. V. S. unc. sex, reliqua demptis hirudinibus continuantur. — Die 26. Martii nocte phantasmata diversa, singultus frequentior, dolor ventris intensior. Mane: cephalea frontalis pressiva, vultus indifferens, facies collapsa in longum tracta, nares pulverulentae, labia muco tenaci, fusco tecta, lingua in marginibus rubra in medio muco albicante tecta, sitis tantalica, quia post quemlibet haustum vomitus sequitur non sedandus, vomitus post omnia sumpta; singultus crebrior, respiratio hesterna, abdomen meteoristice expansum, in omni ambitu praesertim in epigastrio sub levissimo tactu dolorificum, alvus diarrhoica, urinae parcae, turbidae ex fusco flavae, inscie secedentes, sanguis missus offert placentam, sat tenuem, levi crusta inflammatoria instructam. V. S. ad unc. decem. Hirud. ad ambitum abdominis 15. Baln. tepid. mixt. oleos. pot. et catapl. insuper calomel. gr. duo, sacch. dr. in part. sex alternatim cum mixtura. Vesp. omnia symptomata graviora, quibus accedunt extremitatum frigus, pulsus frequentes, disparentes, summe debiles, in epigastrio dolor mitior, major in meso- et hypogastrio. Sub hoc statu aeger in latere dextro decumbens animam post horas tres exhalavit.

Sectio cadaveris.

Meningem inter et arachnoideam exsudata gelatinosa, meninges incrassatae; in plexibus choroideis lateralibus hydatides magnitudinis pisi circiter, vasa cerebelli externa sanguine repleta, pulmones per pseudomembranas tenaces pleurae adnexi, ceterum sani; hepar membranulis partim teneris partim consolidatis diaphragmati, lobus sinister firma pseudomembrana ventriculo adhaerens; superficies ventriculi et omnium intestinorum tenuium externa rosacco tincta colore, ita et omentum majus; membrana ventriculi incrassata, ex profundo rubro fusca et abnorme plicata; intestina tenuia teneris filamentis in toto suo ambitu inter se conglutinata; in cavo abdominis circiter duae librae puris; renes magis rubri et sanguine atro injecti.

Herpes scrophulosus in haemorrhoidaria.

A. H. 30 annorum, coelebs, progenies patris hydropici et egregium scrophuloseos adultorum specimen a prima

infantia usque annum 14. aetatis suae, intumescentiis glandularum colli, et tinea capitis laboravit, quam suppressam raucedo et pectoris oppressio sequebantur, quarum prior semper adhuc perdurat, posterior saepe revertitur. 19. aetatis anno chlorosim postea laryngitidem, 21. de novo chlorosim, 26. febrim rheumaticam et choleram exantlavit. Tertia Februarii repente sternutatione creberrima corripitur, eadem die praesentibus encephelosymphoreseos symptomatibus formatur abscessus retro aurem sinistram, intumescunt dolorifice glandulae colli, et intrante insimul otorrhoea oritur exsudatio morbosa retro aures, quae paulatim ultro serpens regionem buccalem omnem et aures occupat; adparentibus catameniis augetur fluxus hicce, accedunt ad vesperas horripilationes, anorexia, delassatio artuum, incassumque adhibitis lotionibus tepidis et alvum moventibus die 18. Martii in clinicum suscipitur: caput illaesum, nasus et labia tumidula, facies turgens, rubens, tumor in regione buccali sinistra auriculam quoque occupans non adeo elevatus, tensus, in palpebra oculi sinistri oedematosus, in superficie vesiculas offert magnitudinis grani milii, halone rubro circumdatas, fluido diaphano repletas, versus mentum rariores, diffusas; nonnullae harum vesicularum plagas exhibent excoriatas, madidas, intensius rubentes, visuntur praeterea in parte capillata retro aures crustae tenues, flavoviridescentes, in limitibus tumoris versus os et nasum furfures albidi; tota haec plaga dolore urente dolet, exasperante dum aëri exponitur, mitigato dum fomenta calida superimponuntur; ex meatu auditorio externo materia stillat lymphae similis, absque dolore; sensus auditus illaesus; lingua muco albicante leviter obducta, sapor sanorum, appetitus modicus, sitis normalis, loquela rauca, deglutitio libera, glandulae lymphaticae colli tanguntur durae, adsunt cicatrices ulcerum; in larynge sensus titillationis, in pectore levis oppressio, respiratio tamen illaesa, abdomen molle in regione umbilicali sub fortiori et profunda pressione noduli plures, funiculo quasi inserti, duriusculi, dolorifici; cutis normaliter calens, pulsus normali frequentior sat fortis quidpiam tensus, alvus ter mota diarrhoica: Dct. r. gramin. unc. octo,

tart. tartar., syrup. rub. idaci aa. unc. semis. Dct. r. gram. p. potu. Dct. alth. p. fomento. — Die 19. — 27. Martii extenditur herpes quoque ad collum, pectus, brachia nec non ad aurem dextram, quae, aeque ac sinistra lympham plorat; adest continuo febris cum horripilationibus vespertinis. Exhibentur arcan. duplic. et inf. senn. c. mann. — Die 28. Martii intrant menses largiores ac secus, fluxus retro aures imminuitur, in regione buccali plane cessat, febris mitior. Omittitur medicamen relicto potu. — Die 29. — 30. Martii menses largae fluunt. — Die 31. Martii cessat fluxus lunaris; febris nulla indicia. Resumitur medicamen pristinum. — Die 1. — 6. Aprilis. Herpes, exsudatio retro aures et otorrhoea minuuntur. Die 7. — 10. Aprilis. Comparet in mamma sinistra tumor durus, dolorificus; desquamatio herpetis per furfures ultro pergit, exsudatio et otorrhoea plane silent, detumescit facies, alvus quotidie deponitur. Adhibentur cataplasm. emoll. mammae imponenda, reliqua continuantur. — Die 10. — 14. Aprilis. Absente febri et imminuta plethora propinatur inf. dulcam. c. grano tart. emet., mann. unc. duab. arcan. dupl. et syr. simpl. aa unc. semis. Continuat desquamatio in facie et collo, et nonnisi in parte capillata hinc inde squamulae observantur. Crescunt ab initio inflammationis signa in mamma tum vero sub usu catapl. mollescit tumor, dolores mitigantur et abcessus efformatur, qui die 15. Aprilis arte apertus ultro per catapl. fotus post aliquot dies ad plenariam indurationis relictae resolutionem emplastro mercuriali obtegitur. — Die 16. Aprilis. Nonnisi retro aurem sinistram in parte capillata conspicitur herpes; ob nauseam et vomituritiones omittitur tart. emet. et die 19. Aprilis quum menses praeeunt, cephalea intrarent quoque reliqua pharmaca. Cessant post biduum catamenia; resumitur modo mixtura cum tart. emet. gr. semis, quae dosis postmodum ad gr., demum ad gr. et dimidium augetur; adhibentur omni altera die balnea, ab initio mera demum cum uncia hepatis sulphur. Sub hoc tractamine purificatur quoque, quae adhuc contaminata erat pars capillata retro aurem sinistram. Intrant congestiones erga caput dolorificum, tumescit auricula sinistra, rubet, redit fluxus retro illam cum allevia-

tione dolorum, augetur, quin congestiones imminuerentur, iste fluxus comparentibus die 19. Maji catameniis largis. Therapia suspensa post triduum cessantibus catameniis resumitur. Perstantibus congestionibus erga caput et pectus accedunt de nocte praeprimis anxietas, pectoris constrictio, brachiorum tremor. Ceterum de herpete vix vestigium. — Die 30. Maji. Praeeunte terrore ex aspectu aegrae in vicino lecto insultu epileptico tentatae oboriuntur de nocte horror per columnam vertebralem, occipitis dolor stringens, susurrus aurium, extremitatum, frigus et tremor. Mane caput observatur temulentum, dolore obtuso prehensum, pectus dolore constringente obsessum, alvus semel mota. Dct. r. gram. unc. sex, arcan. dupl. unc. semis, inf. senn. c. mann. unc. duas. — Die 31. Maji — 7. Jun. Undulant symptomata praeattacta modo majora modo minora, quin ordinem quendam vel tempus determinatum observarent. Continuantur eccoprotica. Vesicans pectori adplicatur. — Die 7. Junii. Intrat primo frigus et horripilatio in regione sacrali, dein calor vehemens, accedit sensus ardoris e columna vertebrali ad pectus et occiput sese extendens; pectus et facies dolorifice constringuntur, oritur vomituritio, cordis palpitatio, brachii sinistri tremor; occiput dolore notatur pungente, susurrus aurium, oculorum caligo et photopsia, pulsus frequentes. Disparent haec symptomata post dimidium horae, dolor capitis, pectoris et sacralis longius perdurant, quin per intervalla ab omnibus liberam se sentiat aegra. Herpes evanitus aeque ac fluxus retro aures. Penes consueta ordinatur vesicans ad brachium dextrum postmodum in suppuratione tenendum. — Die 8. Junii. De nocte revertitur insultus, mane remittit, perstant tamen dolores capitis, pectoris et sacrales, pulsus est concitatus. — Die 9. — 11. Junii. Intrant menses; insultus nullus; omittitur mixtura; potus ex decto. alth. c. sacch. — Die 12. Junii. Cessantibus catameniis dolores recrudescunt; resumitur mixtura, plaga suppurante in brachio ferme cicatrisata, vesicans brachio sinistro adplicatur postmodum cum ungt. mezer. deligandum. — Die 13. Junii. De nocte insultus vehemens, mane remittit, a prandiis revertitur, perturbatione conscientiae insignis.

Ungt. Autenr. retro aures. — D. 14. — 15. Jun. nulla mutatio. — D. 16. Jun. Dct. r. gram. unc. sex, tart. emet. gr., sal. Glaub. dr. duae, syr. mann. unc. semis. Vesperi insultus intrat caput graviter adficiens. Sinapismi ad suras. — D. 17. Jun. Praeter sensum ardoris in regione sacrali et nauseam post medicamen nulla morbosa. Restringitur dosis tart. emet. ad gr. semis. Vesperi congestiones et dolores capitis graves, sinapism. ad suras et hirud. sex ad radicem nasi adplicari jubentur. — D. 18. Jun. Redeunt saepius recensita morbosa, quin tamen veri insultus faciem induerent. Ordinatur inunctio unguent. Autenr. quoque per decursum columnae vertebralis. Alvi stipsi enematibus succurritur. — D. 19. — 23. Jun. Observatur lenimen, dolores alternatim in pectore, capite ac regione sacrali apparent vel plane silent. — D. 24. Jun. Augetur iterum dosis tart. emet. ad granum. — D. 25. — 30. Jun. Status multum emelioratur, insultus amplius non apparet, sed adsunt saepe dolores in capite, pectore attamen non ex sacrali regione exeuntes, ultimis diebus etiam hi dolores raro saltem per noctem intrarunt per diem aegra ex integro sanam se sentiit. Medicamen idem semper adhuc continuatur, suppuratio in brachio sustentatur, pustulae in dorso adhuc praesto sunt. Aegra per aliquot adhuc dies in clinico moratur, tum vero, quum clauderetur schola, dimittitur. —

Metro-peritonitis cum congestione activa ad encephalon.

A. C. Pedemontana, 33 annorum, constitutionis firmae, temperamenti sanguinei, infans morbillos, virgo febrim rheumaticam et cephaleam superavit. 16. aetatis anno salutatur catameniis omni respectu regularibus et singulo mense redeuntibus; 20. anno concepit et absoluto regulari graviditatis curriculo prolem prodidit partu admodum difficili et tanta sanguinis jactura stipato, ut keneangiae phaenomena proderint et leucophlegmatia diu superstes maneret; serius enteritidem bis, milliaria et influenzam feliciter superavit. Novissima catamenia recto tempore et tra-

mite fluentia sociam habent pertinacem alvi stipsim, hanc profligatura aegra parat sibi et haurit infus. sennae, alvus exinde fit laxa, uterus incipit dolere, invadunt aegram horrores, haec incommoda iisdem quibus inducta fuere propugnatura armis, denuo inf. sennae unciarum circiter trium haurit; ast mox lassitudo, cephalea, facilitas in lipothymiam, praesertim vero acutissimi ventris dolores aegram lecto affigunt, eamque per noctem integram somno privant. — Die 28. Martii adit clinicum: caput grave, vertiginosum, dolorem gerens pungentem ab occipite versus frontem, trahentem, facies dolorifice distracta turget, rubetque, oculi photophobi splendent, aures tinniunt, os siccum, lingua muco albicante tecta, in medio sicca, sitis clamosa, sapor limosus, ciborum fastidium, ructus, vomiturtiones, respiratio cita, sublimis, profunda ob dolores abdominales non concessa; abdomen molle, quidpiam expansum et tensum, dolor in regione uterina fixus, continuus, punctorius, urens, lancinans, profunde ex regione sacrali exordiens deorsum versus symphysim ossium pubis per femur sinistrum usque ad genu, sursum per decursum colonis descendentis usque ad praecordia extensus. Augetur hic dolor per inspirium profundius, gemitum, omnem motum corporis, per situm lateralem, praecipue sinistrum, pressionem sub exploratione levissimam, per accumulationem urinae. In regione uterina et ovarii sinistri tumor circumscriptus dolens et calens; cutis mollis, sicca, amoene calens, pulsus normali frequentior, aequalis, tensus, sat fortis, alvus silet, urinae nullae. Mixt. oleos. unc. octo, nitri dr. semis. Dct. alth. c. inf. liquir. p. potu. catapl. emoll. ad abdomen. Mitigantur dolores, somnus ante mesonyctium per aliquot horas. Hora tertia antelucana saeviunt iterum dolores omnemque aegrae denegant somnum. — D. 29. Mart.; encephalosymphoresis et metro-peritonitis validiores; alvus adhucdum haeret, urinae parum turbidulae, flavescentes, largae. Mixt. oleos. unc. octo, extr. hyosc. gr. duo. Hirudin. decem ad internam femorum faciem, catapl. et enem. emollientia. — Adplicatis hirudinibus imminuitur et dolorum abdominalium

et cephalalgiae intensitas per aliquot horas, redit tamen ad vesperas. Iterum hirudines et enemata. — Recedunt pro parte dolores in capite et abdomine, deponitur alvus bis dura, copiosa cum levamine, intrat quies, usque dum tertia hora antelucana dolores paulisper itidem evigilant. — D. 30. Mart.; mane continuat symphoresis ad encephalon et inflammationis topicae in abdomine nec non febris comitantis facies quidquam mitior. Cutis humidula, lotia copiosa, turbidula, flaventia. — D. 31. Mart.; de nocte somnus, nunc morbosorum omnium decrementum; cutis sudans, pulsus liberiores, alvus copiosa, pultacea, urinae saturate turbidae. Continuat interdiu modicus sudor, e verendis elicitur parca quantitas sanguinis liquidi et coagulati. Ad vesperas luculenta conspicitur dolorum abdominalium remissio, cutis sudore madet. — Hora nona vero confestim praeeunte frigore et aestu sat valido necopina symptomatum morbosorum jamjam sopitorum exasperatio; saeviunt dolores tetri in abdomine, urinae cum dolore urente mittuntur. — D. 1. Apr.; mane, capite immune, facies pallescens, dolorifice distracta, lingua spurca, humida, sapor amarescens, respiratio citata, sublimis, profunda denegata, abdomen inflatum, uterus tumidus, levissimae contrectationis impatiens, cutis mollis, sudans, pulsus frequentior, suppressus, parvus. — V. S. ad unc. octo, hirud. decem ad internam crurum faciem, his delapsis balneum tepidum; mixt. oleosa mera, potus, cataplasm. et enemat. emollient. Adparet sudor universalis, allevians, per nychthemerum durans, imminuuntur morbosa, praesertim dolores in abdomine. — D. 2. Apr.; continuat eadem facies rerum; die 3. Apr. vero recedente sudore recrudescit itidem inflammatio insimul ovarium sinistrum prehendit, ut uterum aeque ac ovarium sinistrum tumida, sat dura, doloribus pressivis, lancinantibus obsessa, circulumque magis concitatum animadvertere licuit. Hirud. decem ad internam femorum plagam, postmodum balneum tepidum, reliqua medicamina eadem. Infringitur modo saevities molestantium symptomatum, morbusque insequentibus diebus, per su-

dores modicos, urinasque sat largas, turbidas, sedimentosas multum decrescit. Adhibentur, dct. gramin. c. tart. tartar. et syrup. mannato; enemata emollientia et omni altera die balneum. Evigilans die 13. Apr. itidem oophoritis sinistra, utpote gradus levioris therapiam non mutat, disparent post biduum inflammationis praeattactae indicia, continuatque benignarum crisium per urinas et sudores processus, ut die 21. Apr. nulla amplius praeter levem sub profundissima contrectatione in regione uteri et ovarii sinistri sensilitatem, horumve organorum tumorem, morbosa cerneres. Tandem regimine diaetetico congruo, usu solventium amarorum (tarax. rheo, serius felle tauri inspissato) fugantur quoque ultima haec inflammationis residua, adolescunt sensim sensimque vires, aegraque penitus restituta die 6. Martii dimittitur. —

A p r i l i s.

Sub Cauri imperio modice udi et summe versatilis alternabant dies sereni cum nubilis et pluviosis; etiam nives die 20. volitabant, procellae bis adventabant die 4. et 16. e regione Septemtrioni et Occasui intermedia, tonitru semel die 30. ab oriente perceptum. Eadem temperiei inconstantia, prima enim decade gelu hiemale, altera decade jam tepor aestivus ad 18° R.

Medius Barometri	status fuit	. . . .				28''	4'''	0''''
Maximus	»	»	»	die	7. mensis	28	9	11
Minimus	»	»	»	—	16. —	27	10	3

Medius Thermometri	status fuit	. . . .			+	7,56° R.
Maximus	»	»	»	die 3. mensis	+	19,0
Minimus	»	»	»	— 7. —	+	1,0

Etiam hoc mense intercurrens morborum constitutio catarrhoso-rheumatica ad inflammatorium propensa principatum tenebat supra characterem stationarium gastrico nervosum, et quae ad finem Martii se morbis insinuarunt notae biliosae, hac mense majorem assequebantur intensi-

tatem. In decursu morborum majora ac hucusque reagentis naturae et criseos conamina atque rariores nefastae per crises erroneas terminationes observabantur. Febrium maximam copiam catarrhosae et rheumaticae constituebant, sequebantur gastricae biliosae; nervosarum numerus notabiliter decrevit et decursus normae adaequabatur; puerperales quoque, phlebitidis uterinae formam potissimum offerentes, benignius decurrebant. Inflammationes, quae vehementiores ac mense priore erant, plurimae pulmones occupabant, reliquae pleuram, articulationum juncturas et hepatis velamenta. Variolarum minor numerus et benignior decursus; etiam characteris putridi adparitio non tam frequens ac mente praegresso. Scarlatina passim occursabat. Cachexiarum, eccrisium et nevrosium eadem ratio ac mense Martio.

Metrorrhagia activa superveniente metritide et oophoritide.

C. Z. coelebs, 23 annorum, temperamenti sanguineo cholerici, habitus plethorici, proclivitate in iram et alia animi pathemata insignis; ex pluribus annis haemorrhoidaria, praeter febres intervallatas tres, puella sex annorum morbillos, 10. aetatis anno, licet vaccinata variolas humanas perpessa, eodem anno epistaxim vehementiorem, anno subsequente catarrhum pulmonum insequente haemoptoë exantlavit, indeve frequentes retinuit affectiones catarrhales nec non haemorrhagias narium tempore catameniorum praesertim recurrentes. Dum annum ageret 16., primum menstruis salutabatur cephalea et epistaxi comitatis; postmodum tum quoad typum tum quoad qualitatem diversas offerentibus anomalias. — Ante annos quinque scarlatina et anno 1831 hepatitide prehendebatur; demum taeniam, qua per longius tempus vexata fuit, anthelminticorum ope expulsam fuisse refert. — Die 26. Aprilis quin molestiis solitis stiparetur, tres ante consuetum tempus dies apparet fluxus lunaris, cui tamen paulo post capto per auram gelidam refrigerio sese associant dolores laceran-

tes, hypogastrium, regionem sacralem et femora pervagantes; aucta indiem sanguinis catamenialis excreti copia augentur quoque dolores, accedunt cephalea, coenaestheseos alteratio, tandem febris, ut aegra consilium medicum appetens oleosis mucilaginosis uteretur, irritisve hisce sanitatem restituendi conaminibus clinicum die 12. Maji adiverit. — Caput quidpiam vertiginosum, gravatum, facies turget, rubet, calet, lingua humida, muco albicante obducta, sapor fatuus, glutinosus, appetitus imminutus, sitis aliquantulum aucta, respiratio parum frequentior normali, sub respirio profundo dolor in abdomine augetur, abdomen expansum, quidpiam tensum, valde sensile, pressionem non fert, supra symphysim ossium pubis in regione uterina et ovarii dextri dolor accusatur fixus, perstans, pungens, interdum gravis, lacerans et ad epigastrium, lumbum dextrum, regionem sacralem et ad femora usque extensus; per lenissimam pressionem augentur dolores et haemorrhagia; incubitus supinus praedilecte conceditur, genitalia sanguinem plorant conditionis venosae, partim fluidum, partim coagulatum, ultimae urinarum guttae sub mictu dolorem excitant, alvus quotidie est cum dolore, calor animalis amoene adauctus, in vola praesertim explicatus, cutis mollis, transpirans, pulsus aequalis, normali modice frequentior, fortis, quidpiam tensus; delassatio et debilitas magna, macies vix notabilis. V. S. ad unc. sex. Linteamin. calefact. in regionem hypogastr. Dct. r. alth. unc. sex, nitri dr., aq. laur. ceras. scrup. duos, syr. mann. unc. Dct. r. salep. libr. duas, sal. essent. tart. gr. quindecim, sacch. unc. semis p. potu. — Commendatur summa quies. — Interdiu mitigantur dolores, haemorrhagia eodem gradu perstat; sanguis e vena missus levem exhibet crustam inflammatoriam. Ad vesperas leves intrant horripilationes cum calore sicco, fugaci; increscunt dolores usque mesonyctium, tum remissio dolorum et somnus per aliquot horas. — D. 13. Maji; caput liberius, sitis modica, appetitus reviviscit, abdomen minus expansum et tensum contrectationis magis patiens; dolores mitiores, pulsus minoris frequentiae, sanguifluxus eodem perseverat gradu, alvus semel deposita. —

De die idem continuat status, vesperi nulla intrat exacerbatio, nox pro maxima parte dormiendo peragitur usque dum mane die 14. Maji spreto lectum servandi consilio iteratis vicibus surrexit aegra dolorumve incrementum itidem causavit quare: caput gravatum, sitis validior, appetitus dejectus, abdomen magis expansum, tensum, dolorum intensitas qualis pridie; sanguinis tamen e genitalibus quantitas imminuta, conditionis magis serosae; calor cutis auctus, pulsus frequentes, fortiores; alvus silet. V. S. unc. sex. Commutatur aq. laur. ceras. cum arcan. duplic. dr. duabus. — Nulla ex phlebotomia mutatio, imo de nocte dolores ad eum evehuntur gradum, ut omnem aegrae raperent somnum. — D. 15. Maji; silente fere ex toto metrorrhagia irritatio uteri et ovarii dextri in veram evecta conspicitur metritidem et oophoritidem nec non quae febricula hucadusque concomitabatur morbum symptomatica in febrim inflammatoriam substantialem. V. S. ad unc. octo. mixtur. eandem. Pro potu aquae f. libr. duas, acidi tartr. gr. quindecim, syr. rub. idaei unc. — Facta venaesectione sedantur post aliquot horas turbae, ita ut aegra nonnisi periodice tentaretur doloribus, iisque minoribus, nec defuerit de nocte dormiendi potestas. — D. 16. Maji; tum inflammationis localis, tum vero febris symptomata ex quavis relatione summopere mitigata apparent; genitalia parcam stillant laticis magis serosi quantitatem; alvus semel mota. — Vesperi et de nocte pro parte recrudescunt dolores, nox insomnis peragitur. D. 7. Maji; caput aliquantulum occupatum, abdomen magis sensile, reliquus idem status. Arcano duplic. ut quod tormina causare videbatur, substituuntur sal. Glauber. dr. tres. — Dolorum augmentum ad vesperas hirud. 12, serius cataplasm. regioni hypogastricae imponere jubent, queis nox tranquillis adducitur. — D. 18. — 19. Maji; morbi decrementum. — Vesp.; levissima ex causa ira incenditur aegra omnesque artus trement, mox acceleratur circulus, evigilant, qui jam per plures dies siluere dolores intensi in regione hypogastrica et sacrali. — Ordinantur hirud. decem; sequitur aliquod lenimen. — D. 20. Maji; caput levi dolore grava-

tivo obsessum, facies quidpiam pallida, abdomen adhuc expansum et sensile, dolores leves in hypogastrio et regione sacrali; metrorrhagia silet, excretio urinae et alvi dolorifica, calor cutis auctus, pulsus normali frequentior et fortior. — D. 21. — 23. Maji; adsunt dolores periodici magis vagi in variis partibus regionis hypogastricae, ventriculus et oesophagus spastice contrahuntur (globus hystericus). Omittuntur nitrum et cataplasmata. — D. 24. Maji; recedunt spasticae contractiones, tensio et expansio abdominis evanescit; dolor in nominata nonnisi sub pressione rudiori evigilat regione; urinarum et alvi excretio quotidie contingit, doloribus levibus comitata; quae in conspectum venit circuli sanguinis modica concitatio potius erethismo vasorum et nervorum debetur. — Dct. r. alth. unc. sex, sal. m. Glaub. dr. duas, aq. lauroceras. scrup. duos, syr. mann. unc. — D. 25. — 29. Maji; nulla mutatio. — D. 29. Maji; aegra surgit, deambulat, redeunt iterum dolores in partibus prius adfectis sat vehementes; lectum petit; increscunt dolores de nocte ita ut somnus denegetur. — D. 30. Maji; status symphoreticus in genitalibus etiam ad vasa haemorrhoidalia extenditur, noduli haemorrhoidales turgent, alvus silet. Hirud. octo circa anum. Syr. mannat. commutatur cum syr. rub. idaei. — D. 31. Maji — 17. Junii; undulant symptomata supra recensita mox majora mox minora; adhibentur eccoprotica, balnea tepida saponata, 6. Junii quoque hirudines. — Accedunt die 18. Junii molimina ad menstrua; augentur inde dolores, oritur cephalalgia, intrante epistaxi nonnihil sopita, stupor femorum. Semicupia et tart. borax. in dct. graminis. — D. 23. Junii; ingravescenti capitis dolori, circuloque concitato opponitur V. S. e vena saphena ad unc. sex. — D. 25. Junii tandem exoptatus intrat menstruorum fluxus et cum illo levamen omnium symptomatum morbosorum, ut diebus insequentibus, omissis quibusvis praeter potulenta emollientia medicaminibus, aegra, si excipias sensilitatem quandam in regione inguinali, ex integro restituta die 2. Julii e nosocomio dimitti potuerit. —

Gastro-enteritis.

F. S. 24 annorum, pyrobolarius, robustus, semper sanus; die 19. Aprilis vespere vigilias agens repente, quin causam sciat corripiebatur frigore intenso et tanta artuum delassatione, ut lectum petere cogeretur; insequebantur aestus, cephalea gravis, sitis valida, anorexia et vomiturítiones frequentes, mox quum jam status esset tolerabilior, revertitur frigus cum immanibus ventris doloribus; ingurgitat aquam gelidam, quam illico evomit et repetitur vomitus quotiescunque sitim clamosam hausta aqua fallere conatur; per diem et noctem insequentem cruciatus ventris magis magisve saeviunt unacum vomitu fluidi ex griseo viridescentis nec non alvo soluta, viresque opprimuntur. — Die 21. Aprilis vesperi in clinicum suscipitur: summa delassatio, magna inquietudo et anxietas, abdomen meteoristice expansum valde calens, in regione epi- et mesogastrica dolor acutissimus, ardens, pungens, fixus, periodice admodum saeviens, augetur constanter per quemlibet attactum, corporis motum nec non per inspirium profundum et tussim; quaecunque assumuntur illico ejiciuntur; vertigo, cephalea, oculi retracti, facies dolorifice distracta, collapsa, lingua rubra, os siccum, sitis ingens, frigida expetens, respiratio frequens, sublimis; artuum pallor et frigus, pulsus inaequales, frequentes parvi et duri, alvus hodie quater mota, fluida. Sanguinis unc. octo e vena mediana. Cataplasm. emoll. ad abdomen. Mixturae oleos. unc. octo. Emulsion. amygd. libr. duas p. potu. — Tribus post venaesectionem elapsis horis mitigantur ventris tormina; calor aequabiliter per corpus distributus, amoenus; pulsus major, somnus, sudor ultra mediam noctem tunc ventris dolores et vomitus materiae ex cinereo viridescentis. — D. 22. Apr.; febris vehementia eadem; ventris dolor mitior, nullus meteorismus, alvus laxa, urinae haerent. — D. 23. Apr.; nox dimidia dormiendo peracta, mane vomitus biliosus, febris et dolorum augmentum cum pulsu frequente, parvo, duro, facie collapsa, inquietudine et anxietate magna, respiratione citata, sublimi,

dolorifica. Iterum V. S. ad unc. octo; balneum universale tepidum; reliquorum continuatio. — Post V. S. et balneum aliqua ad vesperas perstans morbi remissio, mittuntur urinae parcae, fere normales, alvus ter mota diarrhoica. Dct. r. alth. c. inf. liquir. p. potu. Enemata ex saturato decocto r. salep ad unc. quatuor. — D. 24. Apr.; nox insomnis absque causa peracta; mane os et lingua magis humida, posterior non amplius morbose rubra, respiratio difficilior, dolor atrox in pectore scindens, pungens cum tussi frequentiore sicca; similis dolor ab axillis ad lumbos et per omnem abdominis ambitum extensus; saepe sponte, per motum et contrectationem semper exasperandus. — V. S. ad unc. octo. Hirud. decem dextro thoracis lateri adaptantur. Sinapism. ad plantas pedum. Cataplasm. ad abdomen. — Dtc. r. salep. unc. octo cum roob sambuc. unc. semis. Dct. r. salep. c. sacch. p. potu. Vesp.; remissio magna omnium dolorum ast debilitas notabilior, caput exaestuatum, vertiginosum; vultus indifferens, facies collapsa, pallet, in fronte sudor, obtutus languidus, baryecoia, oris siccitas, lingua tremula et siculi labia muco luteo, tenaci obducta, loquela ardua, sitis tantalica, vini desiderium, respiratio citata, difficilis, tussis rarior, meteorismus, cutis sicca; pulsus frequentes parvi, inconstantes. Sinapism. ad femora, vesicantia ad sternum et intra scapulas. — D. 25. Apr.; post noctem inquietam lapsus virium major, mens fatiscit, lingua balbutit, manus continuo genitalibus admoventur, abdomen nullibi dolorificum meteoristice magis expansum; extremitatum frigus, pulsus perquam frequentes, perquam debiles. Dct. r. salep. unc. octo, camph. gr. tria, syr. cort. aurant. unc. Dct. r. salep libr. duas, vini austr. gener. libr. semis, et sacch. p. potu. Vesicant. ad brachia. — Vesp. elatior vita sanguinis et vasorum; facies calet, turget, pulsus sat fortis et sat plenus, cutis modice transpirans, respiratio citata, laboriosa; abdomen tensum, non dolens, defatigatio summa, urinae largae, rubrae, turbidae. — D. 26. Apr.; nox insomnis, deliria placida, alvus fluida foetens, mane facies alienata, respiratio sublimis, abdomen expansum, ubique dolens,

extremitates frigidae; pulsus frequens, parvus, subdurus. Mixt. oleos. unc. sex. Dct. r. salep sine vino. Sinap. ad semona et cataplasm. ad abdomen. — D. 27. Apr.; nocte deliria mussitantia, alvus inscie deposita foetens, urinae exiguae flammeae; mane major virium lapsus ac heri, lingua tremula una cum gingivis et labiis muco tenaci fusco tectis; respiratio frequentior, ceteroquin uti heri, sic aeque urinae; meteorismus major, situs neglectus, pulsus admodum frequens non debilis, cutis mollis, temperaturae normalis. Dct. infus. ex r. alth. dr. duabus et r. valer. dr. una ad unc. sex c. camph. gr. et syr. cort. aurant. unc. dimidia. Dct. r. salep p. potu. Catapl. abdomini, sinap. femoribus adplicanda. Jusculum vinosum. — Vesp. aliquis faciei turgor, diliria placida, urinae parcae, flammeae. — D. 28. Apr.; nox deliriis notata; nunc respiratio perquam laboriosa, debilis, abdomen magis expansum, minus dolorificum; pulsus inconstans; parvus, debilis; sudores in capite viscidi, debilitas summa corporis animique dejectio. Augetur valer. ad dr. duas et camph. ad gr. tria; potui additur vini libr. semis; reliqua continuantur. — Vesp.; aliquis in cute turgor, sudor viscidus, dolores abdominis reviviscunt, pulsus quidquam fortior. Versus undecimam increscentibus symptomatibus nervosis exhibetur: Mosch. gr. quatuor, sacch. scrup. duos in p. quatuor, omni bihorio alternatim c. medicamine. — D. 29. Apr.; facies turget et calet, os et lingua humescunt, conscientia redit, pulsus constans, sat fortis; cutis modice transpirantis temperatura normalis, respirium difficile, abdominis meteoristici sensilitas evecta. — Vesp.; notabilis virium lapsus cum calore cutis mordace et sudore viscido, abdomen omnis contrectationis patiens. Moschi gr. sex pro nocte. — D. 30. Apr.; soporosus aeger nocte murmura proferebat, alvum et urinas inscius mittebat; nunc e sopore difficulter excitatur, difficulterque respirat, manibus genitalia tractat, ad oculorum canthos colligitur mucus tenuis, arteriae exiles imbecille micant. Adaugetur camph. ad gr. sex; caetera eadem. — Ad vesperas redit conscientia, elevatur aliquantulum pulsus, facies laetius coloratur, intrat tussis, frequens, sicca. — D. 1. Maji; gravior ac

hucusque observatur virium lapsus. Inf. ex r. angel. et valer. aa dr. duab., unc. octo, liq. c. c. succin. dr., syr. cort. aurant. unc. — Camph. et moschi aa gr. sex c. sacch. dr. in partes sex alternatim cum mixtura; potus vinos. continuatur. — Vesp., aliqua in sanguine reactio calore et pulsu elevato cognoscenda. — D. 2. Maji viscidus sudor cutim obtegit, vesica et alvus foeces olidissimas inscio aegro elabi sinunt, meteorismus increscit, manuum continua stragulis in unum coacervandis agitatio, respiratio brevis, celera, stertorosa, phthiriasis larga. — D. 3. Maji jam corpus massae exanimis adinstar ad lecti declivia labens, facies impuro glutine oblita, oculorum post palpebras semiclausas inversio terrifica, nasus acuminatus, frigidus, cujus pinnae respirando vehementer moventur, auriculae siccae, frigidae, maxilla pendula cum labiis tremulis et sordidis; humorum colliquatio insignior, phthiriasis largior, instantem praenuntiarunt mortem, quae 5. a meridie hora exhalantem sustulit aegrum. —

E x s t i s p i c i u m.

Cranium atque cerebrum ad normam. Pulmo hinc inde per membranulas pleurae costali adnexus; in cavo thoracis sinistro libra circiter media seri sanguine ex atro tincti; ejusdem liquidi sesquiuncia continetur in pericardio; substantia pulmonis sinistri nec non lobi superioris dextri sana; illa vero lobi medii et inferioris dextri densa, hepatisata, numerosis tuberculis perreptata et abscessibns multis in plagis erosa. Cor pingue, flaccidum. Hepar voluminosum, molle, sanguine pauperum; vesica fellea contracta recludit drachmam circiter fluidi albi albuminosi. Lien et pancreas ad normam. Tubus alimentaris aëre inflatus, hinc inde livens, secus normaliter coloratus; ventriculus fluidum viridicans medicaminibus remixtum continet; jejunum liquorem largum, mucosum, flavum, ileum vero et colon fluidum magis spissum et faecatum exhibet; membrana mucipara jejuni sanguine multo provisa et multum relaxata, minus illa ventriculi et ilei. —

Febris biliosa cum singultu symptomatico.

I. H. chirurgiae tiro, 30 annorum, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, ex aliquo tempore jam catarrho laborans, die 26. Aprilis anni labentis ad vesperas, car-

nosa epulatur, a coena domum rediens, imbre obruitur, per noctem integram placide dormit. Mane die 27. Apr. invaditur febre sat valida cum eminente nausea, vomituritione crebra, anxietate praecordiali et oppletione, sumit pulverem emeticum, evomit materiam amaram, viridescentem sine levamine et quum per noctem morbus atrocior factus esset, consilium capit nosocomium adeundi, atque eadem die (d. 28. Apr.) in clinicum susceptus; facies turget, calet, rubet, lingua muco albo tecta, sitis magna, taedium erga cibos, sapor fatuus, respiratio frequens, citata, sublimis, inspirium profundius reformidatur ob dolores in dorso costam octavam inter et nonam; tussis rara, sputa cruda, abdomen sub pressione in epigastrio solum dolet, secus ad normam, cutis grate ubique calens, leviter transpirat, pulsus frequens, fortis, durus, parvus; dorsum in regione supra designata acute dolet; praesertim sub pressione, trunci motu, exspirio, tussi; dolores ipsi sunt lancinantes et fixi. Dct. r. gramin. unc. sex, sal. m. Glaub., roob. samb. aa unc. semis. Dct. sem. hord. c. oxymel. simpl. p. potu. Tempore antimeridiano frigus intensum subsequo calore et sudore. — Vesp., tussis frequentior, respiratio laboriosa, cutis calidior, sicca, alvus haeret, urinae profunde tinctae, limpidae, dolores ad dorsum mitiores; pectoris anticam partem permeant dolores punctorii. Medicamini adduntur arcan. dupl. dr. duae; p. potu emuls. amygd. libr. duae c. nitri dr. semis. — D. 29. Apr. per noctem multum inquietam oppressio pectoris magna et hinc inde deliria vivacia; nunc turgor faciei major, sapor melior, sitis intensior, tussis frequentior, magis citata, dolores pectoris acerbiores, pulsus ut heri; alvus bis secuta, foeculenta, urinae rubrae, turbidae. V. S. unc. octo, catapl. emoll. ad pectus; reliqua continuantur. Post V. S. remissio morbi luculenta ad mesonyctium usque extensa, tunc iterum dolores in pectore lancinantes, inquietudo, oppressio et anxietas magna, tussis frequens, sitis clamosa et tempore antelucano post levem sudorem nova remissio. — D. 30. Apr. facies elongata, vultus indifferens, oculi languidi, in labio inferiori

hydroa febrilis, lingua sicca, in medio fissa et muco fusco incrustata, ad margines vero albicans, sitis tantalica cum accedente acidulorum desiderio, tussis ut heri, dolores in pectore exigui, inspirium concessum, tussim vix augens, abdomen meteoristice expansum, cutis grate calens, mollis, transpirans, pulsus frequentes, parvi, subduri, urinae rubrae, turbidae; alvus silet. — Dct. r. gramin. unc. sex, tart. emetic. gr., sal. m. Glauber., syr. rub. idaei aa unc. semis. — Aq. f. libr. duae, nitri dr. semis, syr. rub. idaei uncia p. potu. Dct. spec. alth. libr., sal. amar. dr. sex, olei olivar. unc. p. duob. enemat. Sinapism. ad suras; contin. catapl. ad pectus. — Ad vesperas ructus frequentes, levantes, enemata applicata quater alvum movent cum euphoria. — D. 1. Maji ante mesonyctium quies et per vices somnus, versus mane symptomata hesterna revertuntur; nunc conjunctivae bulbi, linguae tegmentum cutisque omnis flavent, nova in labiis hydroa, lingua humescens, respiratio cita, sublimis, sinistra, inspirium et situs lateralis ob cruciatus pectoris inde graviter exasperandos anxie evitatur; oppressio pectoris et anxietas eximia cum sensu ponderis incumbentis, tussis frequens et comites ejus dolores lancinantes, atroces, sputa tenacia, flavicantia, sanguine remixta, facile ejiciuntur, abdomen meteoristicum, nullibi dolens cutis, ardens, lene transpirans, pulsus suppressi, frequentes, urinae, coloris hesterni, mucum suspensum tenent, alvus quater mota, fluida, viridescens. V. S. unc. sex. Post V. S. pectoris cruciatus remittunt, intrat sudor moderatus, levans, pulsus levatur. Ad vesperas inspiratio profundior concessa, tussis rarior, sputa mucosa, sine sanguine, sanguis missus offert crustam inflammatoriam supra duas lineas crassam, flavicantem, copia cruoris, compacti, ponderosi, larga, finito sudore enema injici jubetur. — D. 2. Maji nox inquieta, superficiei flavedo intensior, os siccum, lingua fert in disco crustam fuscam, ad margines mucum flavicantem; sitis ingens, respiratio frequens, ceterum normalis, situs lateralis concessus, dolor in pectore nullus, tussis rara, sputa mucosa, tenacia, flaventia, abdomen meteoristicum in re-

gione hepatis sensile, pulsus iterum suppressi, alvus bis secuta ex flavo viridescens, urinae turbidae ex fusco rubrae cum muco innatante, delassatio magna. — Dct. gram. unc. sex, tart. emet. gr., sacch. dr. duae. Aq. libr. duae, acid. tartr. scrup., sacch. unc. semis p. potu. Circa undecimam ructus frequentes, nausea, vomituritiones. Tart. emet. gr. tria, sacch. dr. semis in part. tres, omni ¼ horae. Post tertium pulverem vomitus materiae biliosae cum lenimine. — D. 3. Maji per noctem frequens singultus; nunc caput vertiginosum, genae circumscriptae, rubentes, cetera facies flavet, conjunctivae flavedo intensior, sitis magna, sapor fatuus, tussis modica cum sputis tenacibus, flavicantibus, respiratio frequentior, inspirium et situs lateralis concessus; abdomen minus expansum, hepar magis dolet, singultus frequens cum doloribus pungentibus circa decursum diaphragmatis praesertim in parte sinistra. Mixtura hesterna et dct. spec. alth. c. inf. liquir. p. potu. Magn. carbon. scrup., acid. tartr. gr. duodecim, sacch. unc. semis, sub singultu pauxillum inde sumendum. Perstat singultus et continuat per noctem, quos dum digitum faucibus induceret vomituritionibus molestatus aeger, etiam vomitus sequutus est materiae viridae, fluidae, amarae, ast sine morbi lenimine, imo potius singultus crebrior, respiratio difficilior, anxietas et delassatio major. — D. 4. Maji excurrit febris biliosa vehementior, icterus symptomaticus increscit, perstat catarrhus pulmonum, singultus frequentior, aegro mortis timorem inculcans et dolores aucti juxta diaphragmatis extensionem, per singultum tussim motum et tactum externum multum exasperandi. Dct. r. gramin. et fruct. tamarind. ex dr. duab. par. unc. sex, sal. m. Glauber. unc. semis, sacch. dr. duae. Dct. r. salep. c. succo citri et sacch. p. potu. Hirud. octo pectori secundum decursum diaphragmatis adaptandae, dein cataplasm. Empl. vesic. ad inferiorem pectoris plagam. Magist. bismuth. gr. duo, sacch. scrup. duos in part. quatuor sub singultu pulvis unus sumendus. Ad vesperas omnia symptomata mitiora, singultum, quoties rediit pulveres ex bismutho placarunt. De nocte aliquid dormivit sed inquiete ob tussim

et sitim. — D. 5. Maji febris, irritatio diaphragmatis, icterus mitiores, singultus rarissimus, tussis frequens cum sputis ejectu difficilibus, tenacibus, flavicantibus hinc inde sanguine striatis; respiratio frequentior, inspirium profundius concessum, concessus aeque situs lateralis, dolores in pectore et diaphragmate nulli, abdomen minus expansum, nullibi dolens, cutis amoene calens, large transpirat, pulsus aequales, frequentes, fortes, alvus pultacea, viridescens, urinae largae ex rubro fuscae magnam muci copiam tenentes, delassatio magna, aliqua euphoria. Medicamina eadem, exceptis hirudinib. catapl. et vesic. De die ingruit ter singultus molestus, qui sumpto pulvere illico cessat. Vesp. sudor largior, turgor faciei et rubor major. — D. 6. Maji nox pro maxima parte dormiendo peracta, aeger per tussim saepius expergefactus et molestatus, mane somnolentus, flavedo minus conspicua, lingua humida depuratur, sapor genuinus, adpetitus reviviscit, sitis modica, tussis frequens, sputa tenacia, albicantia, respiratio frequentior secus normalis, in pectore et in abdomine adhuc sed minus ac heri expanso et resonante nullus dolor aut inamoena sensatio, cutis sudat, pulsus frequentior, secus ad normam, urinae turbidae, duplex sedimentum, unum furfuraceum et ad fundum ponderosum, crystallinum ex rubro fuscum deponunt, cutis color jam normalis. Therapia eadem. — De die iterum singultus pulveri ex bismuth. cedens. Vesperi adhibitum enema alvum ciebat foeculentam, copiosam cum levamine. — Somnus per tussim hinc inde interruptus, quietus. — D. 7. Maji continuant eliminationes cutaneae et per urinas cum magno morbi decremento, etiam tussis levior et sputa magis cocta facilius ejiciuntur, abdomen jam molle, collapsum; poma propinata cum appetitu comedit. — Die 8.—11. Maji sub benigno crisium processu morbus veloci cursu decrevit, ut nunc digestio labefacta et debilitas muscularis restet; die 8. Maji aegro, aversante medicamen, grata ordinatur mixtura: pulp. tamarind. unc. semis solv. in aq. destill. rub. idaei unc. quinque, inf. senn. c. mann. syr. capill. vener. aa unc. — Die 11. Maji extract. tarax.

dr. duae in aq. foenic. unc. quinque, syr. cichor. c. rheo uncia; die 13. Maji extract. tarax. substituitur extract. cent. min. Sub hoc tractamine et sub regimine apto et recte nutriente restituitur digestio ad normam, viresque musculares ad pristinum redeunt robur et vigorem, ut die 31. Maji ex integro restitutus aeger clinico valediceret.

M a j u s.

Tempestas hujus mensis serena generatim, calida et parum ventosa talis erat, qualis mense Junio Viennae esse consuevit. Priori mensis triente constans coeli serenitas; dierum meridies fervidae; matutina et vespertina tempora fere frigida; pomeridiana vero grate tepentia a die 12. ad 17. reficientes imbres et tonitrua, tunc ad finem usque mensis, spirante Euronoto fervor aestivus per imbrem rarum vix refrigerandus. Ventus dominabatur Euronotus parum Africo interruptus.

Medius Barometri status fuit	. . . .		28″	2‴	3⁗
Maximus „ „ „	die 17.	mensis	28	5	5
Minimus „ „ „	— 13.	—	27	10	6

Medius Thermometri status fuit	. . . . .		+ 13,58° R.
Maximus „ „ „	die 29.	mensis	+ 24,0
Minimus „ „ „	— 1.	—	+ 8,0

Intercurrens morborum constitutio inflammatoria catarrhoso - rheumatica characterem stationarium ultro frenare perrexit; ceterum in morborum, forma, essentia et decursu nulla in comparatione cum mense priori essentialis differentia. Febrium numerosissimae hoc mense erant rheumaticae; catarrhosae rarescebant; rarescebant quoque nervosae et benigne cum levi sopore mitique delirio decurrebant. Dialeipyrae increscebant, typo quotidiano vel tertiano adstrictae. Puerperalium febrium forma plerumque metroperitonitidis. — Inflammationum princeps pneumonia, lente decurrens et in colliquationem pronissima, pleuritis rara, sic aeque peritonitis, arthrophlogosis autem crebrior. Ex efflorescentiis una alterave scarlatina obvia; va-

riolosa epidemia senio confecta exolevit, quae in ejus ditione adhuc effloruit, benigna utplurimum varicella erat aut variola modificata. Phthisis pulmonalis tuberculosa, ejusque comes haemoptysis creberrime visa. Scorbutus increbruit.

Febris rheumatica catarrhosa cum myositide traumatica et superveniente scorbuto.

F. H. 26 annorum, munitor, constitutionis fortis, superavit febrem intermittentem tertianam et saepe redeuntes dolores pectoris pungentes, lacerantes, quos levando et ferendo onera nimis ponderosa sibi contraxerat.— Die 30. Aprilis fossam cursu trajiciens lapsat, et ne supinus in illam cadat, omni vi antrorsum nititur, quo facto persentit extemplo dolores in lumbo dextro punctorios, comites ab hinc corporis fideles. — Die 5. Maji denuo se labori accingit gravi, per quem dolores memorati majorem quam hucusque intensitatem adepti se sursum ad scapulam, deorsum, ad femur extendunt, sociamque accipiunt tussim siccam et mox dolores quoque in pectore pungentes. His sequenti die increscentibus mittitur aeger in nosocomium atque in clinicum die 7. Maji susceptus sequentia praebuit: facies rubet, turget, calet, os siccum, sitis aucta, adpetitus vigens, respiratio frequentior, profunda tussim excitat; tussis frequens cum sputis parcis tenacibus, in dextro thoracis latere dolor punctorius, lacerans, remittens, per motum, tussim exasperatur et propagatur ad scopulam et femur; similis dolor sed per tactum quoque augendus in lumbis, ubi temperatura neque altior et tumor diffusus tangitur, pulsus normali frequentior et fortis, cutis ad transpirationem prona, grate calens, urinae rubellae, limpidae, crudae, alvus semel deposita. Dct. r. alth. unc. octo, arcan. dupl. dr. duas, roob samb. unc. semis. Dct. alth. c. inf. liquor. p. potu; ad lumbos hirudin. 10; his delapsis cataplasm. emollient. Sub hoc tractamine judicatur morbus sine peculiari in decursu mutatione mox per urinas sedimentosas, sudorem largum, sputaque ut

die 13. Maji, nona morbi nulla febris indicia, solum rarior tussis cum sputis coctis et sensilitas quidpiam elata in regione lumbali exstaret; ast delassatio extremitatum inferiorum notabilis jam pridie in conspectum veniens in dies increscit. Propinatur ulterius decoct. alth. c. syr. simpl. et potus supra ordinatus; evanescunt sequenti biduo respirii gravamina et doloris ad lumbos vestigia. — D. 15. Maji, conspiciuntur in crurum superficie antica maculae rotundae, pallide rubrae magnitudinem grani mili aequantes; gingivae laxae, tumidae, sensiles, pulsus quidpiam frequentior, urinae turbidae rubellae; tussis rara et humida. Hac perstante continuantur adhuc per triduum remedia emollientia superius notata, tussis pedetentim evanuit, ast indicia sanguinis in resolutionem nitentis increbuere, animadvertuntur enim d. 19. Maji. gingivae magis tumentes, liventes, halitus ingrate olens, facies magis collapsa, terrei coloris, cum maculis ephelidum adinstar flaventibus; lassitudo universalis, femora ponderosa cum dolore rheumaticum mox aemulante, mox obtuso; femorum flexores intumescunt, duri tanguntur, horum rigiditas ab aegro inculpatur, si pedibus insistere tentat. — Dct. r. alth. ex dr. duab. par. libr. duas, succi citri unc., sacch. unc. semis. Dct. malv. c. aceto p. colutor. Assatura carnis et armor. c. aceto p. diaeta. — D. 20. Maji; ingravescunt symptomata scorbuti; aeger quum alvum deponendi gratia surgeret, obveniente in lipothymiam propensione, nisi subito suffultus, humo cecidisset. — Inf. ex herbae centaur. min. et semin. foenicul. aa dr. duab. p. unc. sex. Dct. malth. c. succ. citri et sacch. p. potu. — Die 21. Maji; sub erectione et incessu animi deliquium, musculorum flexorum rigiditas et dolor, in cruribus macula palmam manus aequans, lurida, indolorifica, subtus digitorum ungues suffusio sanguinis. Lotio extremitatum cum aceto vini. — D. 22. Maji, sepseos indicia increscunt praesertim maculae numero plures et extensitatis majoris in extremis. Inf. calam. arom. ex dr. duab. par. unc. sex, elix. acid. Hall. scrup., elaeosacch. foenic. dr. duas. Vinum austr.; brassic. ferment. p. victu. Jubetur deambulatio et commoratio in aprico. — D. 23. — 27. Ma-

ji; his diebus morbus parum decrevit, saltem non increvit. Religatur acid. Hall. ad potum, et medicamento ejus loco additur elix. Mynsichtii. — Sub hoc tractamine symptomata scorbuti lente disparuerunt, recessit morositas animi lassitudo muscularis, fugantur maculae flavescentes in facie, color terreus in rubrum mutatur, gingivarum laxitas evanescit; — remansere in cruribus tantum plagae prius luridae per aliquot tempus discolores et durae; etiam haec ad d. 10. Junii sponte sine ullo amplius medicamine normalem induere colorem, ut miles eadem die officiis par nosocomio valedixerat.

Febris nervosa stupida.

S. T. 20 annorum, miles gregarius et sartor, constitutionis tenerioris, ex die 2. Maji morositatem animi insignem et saepius redeuntes horrores somnumque parum reficientem inculpat; accedit die 8. Maji gravedinis in ventriculo sensus, anorexia, sitis morbosa, accersitus medicus propinat pulverem vomitum septies cientem; vomitus gravedinis sensum a ventriculo fugat, ast pedisequam habet delassationem universalem magnam et capitis vertiginem; quae quum in diem crescerent militemque officiis ineptum redderent, mittitur die 14. Maji in nosocomium atque in clinicum suscipitur. Hic aeger morosus, pusillanimis, caput vertiginosum, anorexiam, sitim auctam et alvum fluxam se habere narrat, praeter pulsum quidquam frequentiorem vultumque tristem nullum offerens symptoma morbi objectivum. — Dct. r. salep c. sacch. — D. 15. Maji; status idem ac heri nisi quod nocte somno quieto transacta alvus bis secuta sit fluida. — D. 16. Maji; de nocte somnia terribilia, nunc debilitas muscularis insignis ita, ut non valeat pedibus insistere; lingua muco levi albescente tecta, sensus gravedinis in regione ventriculi, alvus bis fluida, urinae turbidae sedimentosae, pulsus frequentior. — D. 17. Maji; de nocte calor multum auctus, cetera uti heri. — D. 18. Maji; de nocte iterum aestus, somnia terribilia, largus sudor non reficiens, nunc vertigo, debilitas muscularis major, facies collabitur, vultus indifferens, aurium susurrus; nares, os

sicca, lingua spurca, sapor dulcis, halitus foetens, abdomen inflatum, molle, cutis amoene calens, transpirans; pulsus frequens, sufficienter fortis; alvus sexies mota, fluida, urinae parcae, sedimentosae. Inf. r. ipecac. ex gr. duodecim p. unc. sex, syr. diacod. unc. semis; potus idem. — D. 19. Maji; ruit alvus diarrhoica, labuntur vires. Augetur dosis ipecac. ad gr. quindecim. — D. 20. — 21. Maji; abdomen in regione umbilicali et hypogastrica dolorificum, alvus adhuc diarrhoica, pulsus ad debilem accedit, delassatio corporis crescit. — D. 22. Maji; vomitus materiae amarae cum lenimine, aurium susurrus, sitis major; lingua siccescens, spurca; abdomen meteoristicum, alvus diarrhoica, urinae profunde tinctae, pulsus frequens, debilis etc. Inf. ex r. arnicae dr., r. ipecac. gr. quindecim ad unc. sex, syr. diacod. unc. semis. Dcti. r. salep libr. duas, elix. acid. Hall. dr. semis, sacch. dr. tres p. potu. — D. 23. Maji; comperitur aegrum jam per aliquot menses tabuisse desiderio statum suum pedestrem cum eo equitum commutandi. De nocte aestus, somnia terribilia et deliria placida; mane caput vertiginosum, non valet se erigere, facies multum collapsa, vultus indifferens, mentis operationes tardae, sopor et deliria murmurantia, oculi caliginosi, languidi, aurium susurrus, nares et os sicca, lingua tremula, sitis insatiabilis, loquela tarda, respiratio abdominalis, abdomen meteoristicum, in mesogastrio et hypochondrio dextro tactum rudiorem recusans; cutis sicca inamoene calens, calor inaequabiliter distributus, major in pedum plantis et in abdomine, pulsus frequens, debilis, evanescens, urinae parcae, turbidae. Inf. r. arnic. ex dr. duab. unc. sex, camph. gr., syr. c. aurant. unc. semis. Dcti. r. salep libr. duas, elix. Mynsicht. scrup. p. potu. Catapl. emoll. ad abdomen. Vesp. quum vires magis laberentur, Mosch. gr. tria, sacch. dr. in partes sex et sinapism. ad suras. — D. 24. Maji; de nocte continua deliria, alvus ter mota, fluida; mane lapsus virium major, meteorismus notabilior. Augetur camph. ad gr. tria, mosch. ad gr. sex, et p. potu vini austr. gener. libr. c. aequali decti. r. salep quantitate. — D. 25. Maji; nocte conamina aufugiendi et deliria, alvus involuntarie

fluit; mane ex sopore difficillime excitatur, excitatus apte respondet; lingua fusca, arida, adpetentia in vinosa, meteorismus increvit, debilitas major, situs neglectus. Inf. r. angelic. ex dr. duab. unc. sex, liq. m. Hoffm. dr. syr. cinnam. unc. semis. Moschi et camph. aa gr. sex, sacch. dr. in partes sex. Potus vinosus. Sinapism. ad femora. — Ad vesperas nulla in sanguine ex his reactio. — D. 26. Maji; solum temperatura cutis gratior, reliquus status idem, cutis semper sicca, arida, urinae cum nubecula. Emplastr. canth. intra scapulas. — Vesp. debilitas major in pulsu frequentiore et debiliore conspicua. Propinatur pulvis moschato-camphoratus omni hora. — D. 27. Maji; per noctem debilitas increvit, quae nunc summa est, ut nec caput movere nec linguam porrigere valeat et alvum et urinas inscie deponat. Augetur dosis r. angel. ad dr. tres, illa liq. m. Hoffm. ad dr. unam et semis, syr. cinnam. ad unciam, moschi et camph. ad gr. novem, vini ad libr. duas, ast sine fructu, vires rapide exhauriuntur, facies fit hippocratica, respiratio evadit frequens, abdominis meteoristici dolores evanescunt et die 28. Maji exspirat.

Necroscopia.

Calvarium ponderosum, crassum, meningum vasa sanguine turgentia, sinus vero longitudinalis hoc latice orbatus, pia mater cerebro fortiter adhaerens, substantia cerebralis admodum mollis, omnia organa cerebri egregie evoluta. Pulmones, cor, hepar ad normam. Vesica fellea bilis fluidae semunciam continet. Lien normali quadruplo major, magnitudinem hepatis fere aequat. Ileum magis, quam reliquus tractus intestinalis rubens, membrana interna hinc inde relaxata, ad finem illius ulcus semipollicem in diametro magnum. Reliqua nil abnormis offerunt.

Febris rheumatico-gastrica cum diarrhoea symptomatica in statum adynamicum vergens.

I. K. miles, 24 annorum, constitutionis tenerioris, anno aetatis 17. febri intermittente tertiana per integrum annum ipsi insidiante laboravit. — Die 14. Maji (1835), capto per imbrem refrigerio corripitur febre et doloribus, pectus perscindentibus; accipit altera die pulverem quemdam

functionum concentum adduxerunt, superstite nunc corporis macie, digestionis et reactionis debilitate. — D. 1. — 30. Junii; Extr. tarax. et serius extr. centaur. min. in aq. foenic. solutum atque ultimis diebus dct. c. peruv. c. elaeosacch. cinnam. una cum diaeta nutriente et deambulatione in aprico, lente virium somaticarum vigorem pristinum et debitum restituerunt, exsuperante tamen semper pusillanimitate, quam vero data militi ad suos revertendi spes, profligavit, ut corpore et animo fortis 3o. Jun. nosocomio valedixerat.

Haematuria cum physconia hepatis.

A. E. vidua 30 annorum, temperamenti erethici, constitutionis lymphaticae, infans scarlatinam, morbillos atque rubeolas feliciter exantlavit. Anno aetatis 16. primum menstruis salutatur nunquam non recto tramite fluentibus. Puellam 18 annorum ex causa ignota invadunt dolores in regione renis dextri, mejuntur urinae largissimae, profunde tinctae, spissae, cum sedimento sabuloso, rubro. Variis in usum vocatis remediis disparent morbosa, viresque amissae thermarum ut ajit ferratarum ope restaurantur. Vigesimo aetatis anno viro nubens usque ad annum 26. partu facili quotannis prolem edidit. Corripitur eodem quo nubebat anno in Hungaria febri intermittente, quae per octodecim menses omnia illudens artis conamina tandem abigitur. Exsurgunt paulo post novitus qui antea jam adfuere dolores renis dextri, atque cephaleam, horrorem, frigus levioris gradus comites agnoscunt; consopiuntur quiete, cataplasmatum et diaphoreticorum usu, imo disparent sanamque ad speciem relinquunt foeminam, tum vero indeterminato tempore iterum revertuntur. Durat iste status, usque ad mensem Novembris 1834, hoc vero initiante explicatur quotidie die vesperante manifesta febris exacerbatio; adhibentur per septem ultro menses diversissima sine fructu remedia, tandem praeeuntibus per tres fere septimanas doloribus crus sinistrum, abdomen, regionem renis sinistri, tandem illam dextri occupantibus, cataplasmatum et antiphlogisticorum ope nonnihil alleviatis oboritur die 25. Maji

1835 dolor vehemens, obtusus supra symphysim ossium pubis, cui se associant dolor ingens in regione renis sinistri, cephalea occipitalis, nec non vehemens urinam mittendi nisus. Mittuntur urinae cum magno dolorum praesertim supra symphys im ossium pubis levamine. Lotium ipsum circa 14. libras ponderans, profunde rubre tinctum, fere nigricans, sensum ustionis in urethra eminentem causabat, omnique momento irritante sua qualitate aegram ad mittendam urinam propellebat; horis aliquibus elapsis in duas quasi partes secedebat, quarum una ponderosa, sabulosa, nigricans fundum vasis petebat, altera, rubescens et gelatinosa fluida erat. Utitur aegra mixtura oleosa, et pulveribus albicantibus, disparent die 29. Maji dolores vesicae et sensus ustionis, restant illi renis dextri, atque die 31. Maji in clinicum suscipitur. Languor totius corporis, dysphoria, coenestheseos alteratio; physiognomia quidpiam alienata, facies pallida, terrei coloris, sanguinis denotans defectum, in regione temporali dolor fixus, obtusus, premens, pressione adaugendus, tinnitus aurium, sapor alienatus, appetitus dejectus, sitis in acidula, ructus saepius reiterantes, inspirium profundum propter dolores renis dextri non concessum, tussicula nonnunquam, situs in latere dextro concessus, dorsalis tamen praedilectus, in latere sinistro ob dolores non concessus, scrobiculus cordis jam levi pressione sensilis, crescit haec sensilitas et in verum dolorem evehitur quo propius explorans manus hepati tumenti et columnae vertebrali accedit, summus in regione renis dextri dolor, isque continuus mox pungens, mox obtusus nonnunquam ad femur usque propagatur; regio renalis tumida, insolite calida; regio pubis sensilis; extremitatum inferiorum eximius languor et stupor, cutis tenera, amoene calens ac transpirans, alvi excretiones parcae, durae per biduum silent; frequens urinam mittendi nisus, lotium tamen parcum, coloris brunei cum immixta materia mucosa brevi post missionem fundum vasis petente; pulsus aequales, normali frequentiores, fortes, duriusculi. Dct. sem. lini ex unc. semis, unc octo. sal. Glaub. dr. duas,

functionum concentum adduxerunt, superstite nunc corporis macie, digestionis et reactionis debilitate. — D. 1. — 30. Junii; Extr. tarax. et serius extr. centaur. min. in aq. foenic. solutum atque ultimis diebus dct. c. peruv. c. elaeosacch. cinnam. una cum diaeta nutriente et deambulatione in aprico, lente virium somaticarum vigorem pristinum et debitum restituerunt, exsuperante tamen semper pusillanimitate, quam vero data militi ad suos revertendi spes, profligavit, ut corpore et animo fortis 3o. Jun. nosocomio valedixerat.

Haematuria cum physconia hepatis.

A. E. vidua 30 annorum, temperamenti erethici, constitutionis lymphaticae, infans scarlatinam, morbillos atque rubeolas feliciter exantlavit. Anno aetatis 16. primum menstruis salutatur nunquam non recto tramite fluentibus. Puellam 18 annorum ex causa ignota invadunt dolores in regione renis dextri, mejuntur urinae largissimae, profunde tinctae, spissae, cum sedimento sabuloso, rubro. Variis in usum vocatis remediis disparent morbosa, viresque amissae thermarum ut ajit ferratarum ope restaurantur. Vigesimo aetatis anno viro nubens usque ad annum 26. partu facili quotannis prolem edidit. Corripitur eodem quo nubebat anno in Hungaria febri intermittente, quae per octodecim menses omnia illudens artis conamina tandem abigitur. Exsurgunt paulo post novitus qui antea jam adfuere dolores renis dextri, atque cephaleam, horrorem, frigus levioris gradus comites agnoscunt; consopiuntur quiete, cataplasmatum et diaphoreticorum usu, imo disparent sanamque ad speciem relinquunt foeminam, tum vero indeterminato tempore iterum revertuntur. Durat iste status, usque ad mensem Novembris 1834, hoc vero initiante explicatur quotidie die vesperante manifesta febris exacerbatio; adhibentur per septem ultro menses diversissima sine fructu remedia, tandem praeeuntibus per tres fere septimanas doloribus crus sinistrum, abdomen, regionem renis sinistri, tandem illam dextri occupantibus, cataplasmatum et antiphlogisticorum ope nonnihil alleviatis oboritur die 25. Maji

1835 dolor vehemens, obtusus supra symphysim ossium pubis, cui se associant dolor ingens in regione renis sinistri, cephalea occipitalis, nec non vehemens urinam mittendi nisus. Mittuntur urinae cum magno dolorum praesertim supra symphys im ossium pubis levamine. Lotium ipsum circa 14. libras ponderans, profunde rubre tinctum, fere nigricans, sensum ustionis in urethra eminentem causabat, omnique momento irritante sua qualitate aegram ad mittendam urinam propellebat; horis aliquibus elapsis in duas quasi partes secedebat, quarum una ponderosa, sabulosa, nigricans fundum vasis petebat, altera, rubescens et gelatinosa fluida erat. Utitur aegra mixtura oleosa, et pulveribus albicantibus, disparent die 29. Maji dolores vesicae et sensus ustionis, restant illi renis dextri, atque die 31. Maji in clinicum suscipitur. Languor totius corporis, dysphoria, coenestheseos alteratio; physiognomia quidpiam alienata, facies pallida, terrei coloris, sanguinis denotans defectum, in regione temporali dolor fixus, obtusus, premens, pressione adaugendus, tinnitus aurium, sapor alienatus, appetitus dejectus, sitis in acidula, ructus saepius reiterantes, inspirium profundum propter dolores renis dextri non concessum, tussicula nonnunquam, situs in latere dextro concessus, dorsalis tamen praedilectus, in latere sinistro ob dolores non concessus, scrobiculus cordis jam levi pressione sensilis, crescit haec sensilitas et in verum dolorem evehitur quo propius explorans manus hepati tumenti et columnae vertebrali accedit, summus in regione renis dextri dolor, isque continuus mox pungens, mox obtusus nonnunquam ad femur usque propagatur; regio renalis tumida, insolite calida; regio pubis sensilis; extremitatum inferiorum eximius languor et stupor, cutis tenera, amoene calens ac transpirans, alvi excretiones parcae, durae per biduum silent; frequens urinam mittendi nisus, lotium tamen parcum, coloris brunei cum immixta materia mucosa brevi post missionem fundum vasis petente; pulsus aequales, normali frequentiores, fortes, duriusculi. Dct. sem. lini ex unc. semis, unc octo. sal. Glaub. dr. duas,

syr. simpl. unc. semis. Dct. salep. c. syr. rub. idaei p. potu. Disparent sub hoc tractamine tum febris tum vero inflammationis topicae symptomata; lotia exigua semper mittuntur quantitate, conditionis supra depictae. — D. 5. Jun. Capitis dolor, tussis, ructus, tandem dolores in abdomine aboliti, situs tamen in latere sinistro adhuc denegatus, adsunt praeterea debilitas et delassatio magna, faciei color ex flavo pallescens, appetitus dejectus, tumor in regione renis et infarctus hepatis, licet imminutus, urinae morbosa ut prioribus diebus conditio. Propinatur: seri lactis dulc. libr. sodae carbon. gr. quindecim, extr. r. gram. liquid. unc. semis. Continuatur haec therapia usque ad 15. Junii. Imminuitur indies tumor, reviviscunt vires, facies magis magisve colore tingitur naturali, aegra, quae antea nec pedibus insistere valuit, quotidie deambulat. Accedens per duas dies gastricismus, vomitu de nocte insignis itidem disparet, et therapiam non mutat. — D. 15. Jun. vesperi hora decima causa ignota sub alvi depositione doloribus prehenditur vehementibus, punctoriis in regione vesicae et renis dextri; exoritur insimul major urinam mittendi nisus, lotiaque insolita mejuntur quantitate. Accedit frigus e regione renis dextri oriundus totum permeans corpus cum aestu alternans, nec deerant dolores punctorii capitis imprimis in regione frontis. Durante nocte ter repetitur talis insultus iisdem symptomatibus eodemque urinae mittendae nisu stipatus. — D. 16. Jun. Dedolatio corporis et artuum summa, caput occupatum, physiognomia moesta, perterrita, oculi quidquam sensiles, abdomen molle, tractabile, regio renis dextri tumida, calidior normali, sensilis, cum plenitudinis sensu; confitetur aegra, per aliquot jam dies percepisse dolores vix tamen molestantes e regione umbilicali versus femora sese extendentes; adest quoque catameniorum tempus; alvus semel deposita, pulsus frequentior, fortior, urina larga quantitate missa partim obscure rubra est, et linteamen album rubro tingit colore, partim coagulo immixta rubro, quod calor non solvit. Alcohol urinae immissus illam lacteam reddit et filamenta coloris-rubro albidi praecipitat. Dct. semin. lini ex unc. octo,

acidi tart. gr. quindecim, syr. mann. unc. Dct. salep. c. sacch. p. potu. Enemat. emoll. Pediluv. Sinapism. ad suras. Quies severa. Continuant per diem dolorum cruciatus ac impetuosa lotii turbidi, rubri missio; hora nova vesperi intrat frigus e regione renis dextri exeuns, sequitur sudor, tum vero somnus refocillans; — mitigantur dolores, urinae mittuntur sine dolore. — Recedunt iterum morbosa, lotia laetius tinguntur, adolescunt sensim sensimque vires, minuitur tumor hepatis et renis. Resumitur die 20 Jun. serum lact. c. soda carbon. et extr. tarax. — Morbi decrementum et inchoans reconvalescentia. Intrant d. 20. Junii menstrua per duos menses desideratae spemque adaugent futurae sanationis. Dimittitur post octiduum, quum clauderetur clinicum.

J u n i u s.

Spirante per mensem Cauro prima Junii decas serena et demto meridiali nimio fervore grata erat; altera decade aestum meridialem imbres et ventus temperabant, fluentes per ultimam tandem pluviae, aërem multum refrigerabant,

Medius Barometri status fuit:	. . . .		28″	3‴	4⁗
Maximus „ „ „	die 11.	mensis	28	7	1
Minimus „ „ „	— 25.	—	27	10	5

Medius Thermometri status fuit:	. . . . .		+ 15,65° R.
Maximus „ „ „	die 8.	mensis	+ 24,5
Minimus „ „ „	— 16.	—	+ 8,3

Character catarrhoso-rheumaticus per aliquot menses intercurrens morborumque formam, decursum et decisionem in partem meliorem vertens hoc mense satis defervuit, dum adversus ei genius gastrico-nervosus latius denuo explicaretur. Febres itaque gastricae longe lateque dominabant, eorum complures cum encephalosymphoresi et diarrhoea copulatae formam typhi abdominalis ludebant. Nervosae his proxime accedebant eundem ac mense praegresso

decursum benigniorem observantes; catarrhosae vero et rheumaticae rarescebant; intermittentes typi quotidiani vel tertiani crebrius visae; puerperalium forma ut mense Majo. Ex inflammationibus pneumoniae etiam hoc mense, segnius tamen decurrentes praevalebant; pleuritidum numerus increvit, arthrophlogosium vero decrevit. Exanthematum rara adparitio, variola et varicella sporadica passim occursabat. Scorbutus multum ampliabatur.

Febris rheumatica cum incipiente scorbuto. —

J. D. miles gregarius, 29 annorum, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, fere quotannis catarrhum et ante tres annos syphilidem exantlavit. — D. 14. Maji; quin praeter exaestuationem nimiam in excubiis aliam noscat causam, corripitur febre inflammatoria, quam post triduum largi sudores solvere; nunc supervenit tussis molesta, sicca, cui quum salutis incuriosus servitio fungeretur, se associant die 25. Maji dolores in hypochondrio utroque, eminentiores in dextro, qui quum indies crescerent militemque officiis fungendis imparem redderent, ille die 3. Junii nosocomium adeundi consilium capit, atque eadem die in clinicum susceptus sequentia obtulit: caput liberum, color faciei flavicans, adnata oculorum quidquam lurida, lingua humida, muco albicante tecta; gingivae laxae, spongiosae, tumidae et facile sanguinem fundentes cum halitu foetente, sapor dulcis, appetitus non dejectus, sitis adaucta, respiratio consueta sana, profundior tussim excitat, regio hypochondriaca utraque praesertim dextra tumens, dura ad attactum dolorifica; in inferiore et interiore parte femoris sinistri et interiore plaga cruris dextri macula oblonga, coloris viridescentis, luridi, aliquot pollices lata, similis macula sed profundius tincta, livescens in fossa poplitea sinistra; sic et numerosae maculae minores, magnitudinis seminis cannabini per decursum femorum et crurum diffusae, in genu sinistro dolor pungens, lacerans, motu adaugendus; cutis calida modice transpirans; pulsus normali frequentior, sat fortis, alvus ex triduo haeret, urinae largae, profundius tinctae. Dct. ex r. gramin. et fruct. tamarind. aa unc. ad

unc. octo, syrup. mannat. unc. Aq. f. c. libr. duas, sal. essent. tart. gr. quindecim, sacch. dr. tres p. potu. Catapl. emoll. hypochond. imponenda. — D. 4. Junii; tumor in regione hypochondriaca aliquantulum imminuitur, tussicula perstat, scorbutus idem; febris vesperi mitior, alvus semel mota, urinae conditionis hesternae. — D. 5. Junii; febris symptomata fere nulla, tussicula adest; tumor hepatis recedit, perstat dolor genu; maculae scorbuticae extenduntur et multiplicantur. Inf. r. caryoph. ex dr. duab. par. unc. octo, elix. acid. Haller. scrup., syr. cort. aurant. unc. semis. Lotiones pedum ex aq. f. et aceto. Omittuntur cataplasm. Pro victu pruna et brassica fermentata. — D. 6. Junii; febris rheumatica penitus abstersa, tumor hepatis fere nullus, tussicula rarissima; sepseos symptomata eadem. — D. 7. Junii; tussis evanida; gingivae magis laxae sanguinem facillime plorant, labia livida, halitus nauseose foetens, cutis lurida, maculae scorbuticae extenduntur, colore notantur coerulescente, marginibus viridescentibus, tanguntur durae; genu sinistrum dolet, ardue movetur, riget; alvus semel deposita, urinae profunde tinctae. Inf. calam. aromat. ex dr. duab. par. unc. octo, elix. acid. Haller, scrup., syrup. cinnamom. unc. Lotion. et potus. Pro victu carn. assat., brassic. ferment.; armorac. c. aceto et libr. vini austriac. Commendatur motus corporis in aprico. — D. 10. Junii; novae superveniunt maculae, perstantium major extensio. Dct. cort. peruv. ex unc. semis par. unc. octo, elix. Mynsicht. scrup., syrup. cinnam. unc. Aq. f. libr. acid. sulph. diluti. unc. pro lotione. Vesp. dct. malth. ex dr. duab. par. libr. duas, elix. acid. Haller. scrup., sacch. dr. tres p. potu. — D. 11. Junii; increscit scorbutus. Versus mesonoctium praeeunte dolore premente sub sterno et sensu titillationis in trachea ejiciuntur sputa sanguinea; nox ceterum dormiendo peragitur. — D. 12. Junii; quae aeger de nocte ejecit sputa adparent foetentia, sanguine soluto et parca muci quantitate intermixta unciarum circiter quinque; adest levis sub sterno pressionis sensus, respiratio tamen solita et profundior non impeditur nec tussim excitat. — Gingivarum laxitas et color lividus imminuuntur, rigiditas et ardua

genu mobilitas minor, dolor nullus, maculae quidquam pallescunt, alvus semel mota, urinae largae, sanorum. — D. 13. Junii; nulla sanguinis ejectio. — D. 14. — 15. Junii; disparent maculae minores, majores decolorantur. — D. 16. Junii; restant adhuc gingivarum laxitas, quaedam rigiditas et tensio genu, ut aeger illud ex integro flectere non valeat; in cruribus plagae discolores. — D. 17. — 30. Junii; disparent sensim sensimque ultima haec sepseos indicia; die 23. Junii omittuntur lotiones, die 25. aeque medicamina reliqua, et nonnisi residuae adhuc gingivarum quadam laxitati opponitur colutorium ex inf. salviae cum aceto, relictoque et isto post aliquot dies, die 3. Julii sanus dimittitur. —

Febris gastrico-biliosa cum symphoresi ad encephalon.

M. J. miles gregarius, 23. annorum, constitutionis debilis, hucusque semper sanus. Die 7. Junii iter faciens corripitur vespere febri cum vomitu materiae viridis, amarae. Intrat nocte sudor largus, levans; mane quum status esset tolerabilior, continuat iter, quod et sequentibus fit tribus diebus, quamvis de die in diem aegritudo increscat et acerbiores ad vesperas et in noctem protensas faceret exacerbationes. Viennam adeptus illico in nosocomium mittitur atque die 10. Junii in clinicum susceptus; caput exaestuatum, grave, vertiginosum cum sensu oppletionis et pulsationis in eodem, facies profunde rubra circa nasi alas flavescens, calet, turget, in fronte sudat, oculi prominentes, photophobi, sicci, fulgentes, aurium tinitus, sternutatio frequens cum narium siccitate et pruritu molesto, loquela balbutiens, lingua sicca flavescens, sapor amarus, carnosorum fastidium, sitis clamosa in frigida et acidula, halitus foetens, nausea, ructus amari, carotides fortiter verberant; respiratio laboriosa, regio ventriculi et hepatis tumida, tensa cum sensatione ibidem doloris pressivi, obtusi, dolores ad lumbos punctorii, delassatio magna, cutis intense calens, hinc inde pruriens, pulsus frequens, fortis, suppressus,

alvus ex triduo haeret. — Dct. fruct. tamarind. ex unc. semis unc. sex, sal. m. Glaub. oxym. simpl. aa unc semis. Aq. f. libr. duae., acid. tartr. scrup. — Vesp. aliqua symptomatum exacerbatio, de nocte insomni, inquieta, urinae missae profunde rubrae. Mane encephalosymphoresis molestior et febris quoque aliquod augmentum. Hirud. med. retro aures. Sal. Glaub. augetur ad dr. sex; enema ex decto. alth. cum sal amar. dr. sex. Post meridiem alvus quinquies secuta, sudor largus, amoenus in noctem protractus, levans, nox quieta, gratus somnus; mane caput liberum, facies parum turgescit, lingua depuratur, redit sapor genuinus, sitis modica, abdomen molle, in hypochondrio dextro sub pressione quidquam dolens, urinae rubrae, sedimentosae, pulsus liber, normali haud fortior atque frequentior. Dct. tamarind. cum sal. Glauber. ultra propinatur. — D. 13. — 15. Junii; sub benignarum crisium processu omnis abigitur morbus, relicta solum digestionis et musculorum debilitate. Inf. herbae cent. min. et semin. foenic. una cum victu nutriente bene resarcivere vires, ut miles officiis fungendis par ultima hujus mensis dimitteretur. —

Febris gastrico-biliosa supervenientibus varicellis.

M. S. puella 15. annorum, constitutionis fortis, temperamenti sanguinei, nondum menstruata si excipias faucium anginam aliquoties redeuntem semper sana, die 11. Junii ad vesperas sine causa nota derepente corripitur delassatione, disphoria, cephalea obtusa; dolores subintrantes, frangentes in columna vertebrali ad tergum, tunc aestus nimius et cephalea dira somnum fugant. Mane die 12. Jun. magna ventriculi oppressio, ructus amari, vomiturittiones crebrae, vomitus ciborum pridie comestorum, tum materiae amarae, viridis, tenacis vomitus ter repetitus magnam reliquere corporis delassationem, sitis clamosa, anorexia, de nocte phantasmata terribilia et inquietudo. Continuant haec sequentibus diebus 13., 14., 15. Junii una cum continua nausea, vomituritione et vomitu frequente

increscente semper delassatione, disphoria et magna ad aegrae sensum debilitate. Adit die 15. Junii clinicum: cephalea premens, distendens, frontalis, vertigo sub erectione trunci, facies turget, rubet, calet, rubor circumscriptus in genis, susurrus aurium, oculi erga lucem sensiles, splendent, labia rubra sicca, dentes muco tenaci flavicante obtecti, lingua sicca in margine muco albido in medio fusco notata, sapor fatuus, amarus, appetitus sublatus, nausea, ructus amarescentes, sitis adaucta in frigida et acidula; abdomen inflatum, tensum, in regione hepatis tumens, in illa scrobiculi sub pressione dolens; cutis sicca, amoene calens; adparent hinc inde maculae circumscriptae, rubrae, morsui pulicum non absimiles, partim confertae pro maxima parte autem discretae, nonnullae harum macularum in medio nodulum gerunt durum, subflavum, nonnullae vesiculam fluido seroso repletam; pulsus aequales normali frequentiores, sat fortes et contracti alvus ex triduo silet. — Dct. r. gram. unc. sex, arcan. dupl. dr. tres, syr. simpl. unc. semis; dct. hord. c oxym. simpl. p. potu. Vesperi augentur motus febriles, de nocte ob aestum et sitim vix fallendam denegatur somnus; intrat tempore antelucano remissio febris et cum illa somnus reficiens. D. 16. Jun. continuant febrilia symptomata eodem gradu; pergit evolutio exanthematis; comparent nimirum novitus maculae, praesentium quaedam in nodulos efformantur, aliae vesicas materia adiaphana repletas exhibent; alvus adhucdum silet. Jubetur enema emolliens, reliqua eadem. Vesperi; febris exacerbatio mitissima; de nocte somnus et modicus sudor. D. 17. Jun. caput leviter dolens, elevatum quidpiam vertiginosum, facies modice turget et rubet, aures et oculi immunes, labia humida, rubra, lingua pura, humida, sapor genuinus, sitis modica, abdomen molle tractabile, cutis temperatura sanorum, pulsus normali vix frequentiores; pustulae materia opaca lactiformi repletae hodie e vesiculis evolutae pruritum et ardorem molestantem causant, hinc inde vero novae adparent adhuc maculae, quin desint, quae nodulum in medio praeseferant vel vesicam lympha adiaphana repletam; alvus

nulla, urinae mejuntur limpidae, largae. Augetur dosis arcani duplicati ad unc. semis; conceduntur pruna cocta. — D. 18. Jun. nulla amplius febris indicia; pustulae magnitudinem pisi adaequantes, in apice foveola notantur et materia puriformi repletae comparent, hinc inde adhucdum novae prorumpunt maculae. — D. 19. Jun. pustulae fere omnes pure repletae animadvertuntur, accedit vesperi mitissima exacerbatio ex cutis temperatura modice adaucta et pulsu quidpiam frequentiori conspicua. — D. 20. Jun. continuat suppuratio. — D. 21. Jun. inchoat exsiccatio et inde ab hoc tempore per octo adhuc dies quotquot aderant pustulae sensim sensimque quin ordinem observarent anatomicum decrustantur, maculas relinquentes profunde rubras, subrotundas; omittuntur die 23. Junii medicamina, augetur paulatim victus, restituuntur vires; die 30. sana dimittitur.

Theses defendendae.

I.

Incendium nulla pars organica recusat.

II.

Venaesectiones certis temporibus institutae, quin symptomatibus morbosis indicatae sint, nocent.

Fr. Hoffmann.

III.

Omnis morbus imaginarius verum supponit, ast existunt imaginariae morborum causae.

IV.

Indicatione incerta, maneas in generalibus.

Stoll.

V.

Pseudomorphoses non semper praeeuntem arguunt inflammationem.

VI.

Unus morbus saepe est medicamentum alterius.

Hippocrates.

VII.

Crises materiales nonnisi ignarus negabit.

VIII.

Morbus psychicus sine substrati materialis mutatione non concipitur.

IX.

Ligatura torsioni arteriarum ubique praeferenda.

X.

Datur febris nervosa primaria.